



# Disputatio literaria continens quaestiones in Aristophanis Plutum

<https://hdl.handle.net/1874/297160>

5

DISPUTATIO LITERARIA

CONTINENS

QUAESTIONES

IN ARISTOPHANIS PLUTUM.

ПІСЛЯДУВАННЯ  
ІІІ. ПІСЛЯДУВАННЯ  
ІІІІ. ПІСЛЯДУВАННЯ

DISPUTATIO LITERARIA  
CONTINENS  
QUAESTIONES  
IN  
ARISTOPHANIS PLUTUM,  
QUAM  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI  
JACOBI ADOLPHI CAROLI ROVERS,  
PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. ET JUR. UTRIUSQUE DOCT.  
IN FAC. LITTERARIA PROF. ORD.  
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU  
ET  
NOBILISSIMAE FACULTATIS LITERARIAE DECRETO,  
**Pro Gradu Doctoratus**  
SUMMISQUE  
IN LITERIS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,  
IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,  
ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT  
HILLEGONDUS IDANUS HELDERMAN,  
Oldensaliensis.

A. D. XXVIII M. JUNII A. MDCCCLXI, HORA IX.

---

Crajeti ad Rhenum,  
TYPIS MANDARUNT KEMINK ET FILIUS.  
MDCCCLXI.

АРИЯНІТЪ АІСТУЧИЙ

Ізборникъ

Ізборникъ

АРИЯНІТЪ ПІДВІРІЙ

Ізборникъ

PATRIS MEMORIAE.

LITERATUR

L. S.

---

*Quum ex Aristophanis comoediis Plutus mihi maxime arrisisset de quo aliquid scribebam, animum attendi potissimum ad duas quaestiones, quae jam pridem interpres exercuerunt: de duplice Pluti editione, et de Aristophanis in edenda hac fabula consilio, quibus nonnulla de Comocdiac illius forma adjeci.*

*Non me fugit disputatunculam hanc talem esse, ut, sive materiem species, sive rerum tractationem, multa in ea desiderari possint ab iis, qui nulla rerum temporumque ratione habita, solam operis legem spectent. Sed, qui vitae meae cursum norunt, hujus speciminis formam rationemque facile excusabunt; quibus vero ignotus sum, hos rogatos volo, ut, in aestimando hoc libello teneant, me non quem vellem, sed quem tempora praescriberent, modum operi imposuisse.*

*Diu est a quo tempore me paedagogiae dicavi. Pueros  
ingenuos tum litterarum doctrinarumque elementis eru-  
dire, tum animos et pectora eorum honesti rectique  
amore imbucre semper mihi optatissimum fuit munus,  
neque successus, juvante Deo, adhuc mihi defuit. Eadem  
via progredi est animus.*

*Praeceptoribus et amicis, in his tibi, Promotori ae-  
stumatissimo, s. KARSTEN, omnia fausta precatus,  
intermissum aliquantis per vitae institutum mox nova  
alacritate repetere juvabit.*

## QUAESTIONES

IN

### ARISTOPHANIS PLUTUM.

#### I.

##### DE DUPLICE PLUTO.

Quam ultimam fabulam suo nomine docuit Aristophanes, PLUTUS cum propter argumenti commendationem et tractationis venustatem maximo semper studio lectitata sit, tum non paucas excitavit eruditorum controversias, tam de fabulae compositione et forma quam de consilio quod poëta in ea scribenda secutus sit.

Constat enim e scholio ad v. 179 Plutum bis editam esse, primum Ol. 92, 4, = 408 a. C., archonte Dioele, iterum viginti annis post, Ol. 97, 4, = 388 a. C., archonte Antipatro.

Jam interpretes veteres plerique, quantum e scholiis intelligere licet, pro certo habuerunt, eam quam ha-

bemus Pluti editionem esse priorem, in quam tamen nonnulla e posteriore fabula ab incerto auctore translata essent. Recentiorum autem alii opinati sunt illam ex utraque fabula a grammatico aliquo conflatam esse, quam opinionem praeter alios amplexi sunt Kusterus, Brunckius et Bothius; alii vero cum scholiastis priorem fabulam sc̄ legere crediderunt, ut Bentlejus, Fischerus, Reisigius; Hemsterhusius quidem ea de re dubitavit; alii denique posteriorem editionem nos habere contenderunt idque idoneis argumentis probasse mihi videntur, in his Ritterus, Thierschius et Bodius.

Etsi igitur non nova et inaudita prolatus sum, confido tamen me, si controversiae illius caussam rationesque enucleatius explicuero, nec mihi inutilem nec aliis fortasse supervacaneam operam suscepturum.

Peculiarem de hoc arguento disquisitionem instituit Ritterus in dissertatione de Pluto, quam diu frustra quaesitam comparare mihi non contigit, sed contentus esse debui iis, quae in Prolegomenis ad Plutum e libello illo depromsit B. Thiersch, quo duce, quae cum veteres tum recentiores de hac quaestione in medium protulerunt, examinabo.

### § 1.

Itaque evolvamus primum scholia vetera in Plutum, et quae ibi ad hanc quaestionem spectantia leguntur exploremus.

Ad vs. 115:

*ταῦτης ἀπελλάξειν σε τῆς ὁφθαλμίας,*

adscribitur hoc scholion: τῆς ὀφθαλμίας: ἀντὶ τοῦ τῆς πηρωτεως· ἴδιας δὲ ὀφθαλμίαν τὴν πήρωσιν τῶν ὀφθαλμῶν Φυτι, διὸ καὶ ἐν τῷ δευτέρῳ μεταπεποίηται

τῆς συμφορᾶς ταύτης τε παύσειν ἡς ἔχεις.

In postremis hujus versiculi verbis variat lectio: ἡν  
ἔχεις, ἢ σ' ἔχει. Attractio ἡς ἔχεις, quum praecessit ταύτης,  
etsi non omnino vituperanda, tamen in hac verborum  
junctura durior est; quare praferendum ἡν ἔχεις. Sed  
utrum legas, frigidum est additamentum; contra, in  
versu vulgato ὀφθαλμία non tantum ἴδιας, ut dicit  
scholiasta, sed venuste et ἵποκοριστικῶς pro caecitate  
positum est; quare difficile mihi videtur creditu, si  
poëta prius ὀφθαλμίας seripsisset, cum postea hoc in  
lectionem invenustam et frigidam mutasse. Jam vedit  
hoc Hemsterhusius, qui nullam fuisse causam con-  
tendit, cur priorem versum mutasset poëta. Etiam  
Thierschius Aristophani abjudicat versum a scholiasta  
prolatum, quippe qui, sive metrum sive sensum spec-  
tes, ut dicit, altero sit longe inferior. Ac metrum  
quidem non tam me offendit, quum versus justum  
trimetrum jambicum efficiat; ceterum Thierschio assen-  
tior. Quid ergo? Quae in hoc scholio ut ex secunda  
editione de promta vetus interpres affert, videntur po-  
tius habenda pro interpolamento grammatici, qui verbi  
ὀφθαλμίας venustatem non caperet, quae etiam recen-  
tiorum nonnullos fecellit, ut Fischerum, qui alteram  
lectionem συμφορᾶς elegantiorem habet, quod Athe-  
nienses pro rebus molestis vocabulis mediis et gratis  
delectarentur. Assentior; at miror eum non vidiisse  
ὀφθαλμίαν, h. e. morbum oculorum, si pro caecitate

ponatur, certe esse euphemismum. De altera igitur Pluti editione ex hoc scholio nihil effici potest.

Vs. 119 in cod. Rav. effertur sic:

οὐ Ζεὺς μὲν οὖν οἴδας τὰ τούτων μᾶρπ', ἔμ', εἰ πύθοιτ', οὐκέτη φειε.

Versus explicatu difficilior. Codd. multi pro *οἴδας* εἰδὼς; de *μᾶρπ'* ambigitur utrum sit vocativus *μᾶρπε* an *μᾶρα*. Illud Hemsterhusio placuit; Schol. posteriorius probat: τὸ δὲ *μᾶρα* μεταξύ. Evidem versum sic explicandum puto: οὐ Ζεὺς μὲν οὖν, οἴδας(α) *ώς*, εἰ πύθοιτο τὰ τούτων *μᾶρα*, *ἔμ'* οὐκέτη φειε. Pro *τούτων* autem nescio an *θυητῶν* sit legendum. Ceterum talis verborum trajectionis exempla quaedam collegit Lobeckius Commentar. in Soph. Ai. p. 267 sq.

Ad hunc autem versum legitur hoc scholion: μεταπεποίηται δὲ καὶ τοῦτο οὐ τῷ δευτέρῳ; quid vero mutatum sit, grammaticus non addidit; suspicari licet aequem atque in superiore versu lectionis varietatem nihil fuisse nisi grammatici alicujus qui verba non intelligeret interpolationem.<sup>1)</sup>

Videamus porro scholion ad vs. 173:

τὸ δὲ οὐκέτη Κορίνθῳ ξενικὸν σύζητος τρέφει;

Vs. manifesto spectat ad tempus belli Corinthiaci, septemdecim annis post priorem Pluti editionem gesti; quocirca in hanc non cadit. Scholiasta tamen ita opi-

1) Cf. Thierseh, Prolegg. in Ar. Pl. p. 466.

natus rem sic explicare studuit: ὡς, inquit, ἀεὶ ξενικόν τι ἔχοντων Κορινθίων, καὶ οὐχ, ὡς ἔνοι, κατὰ τὸν κατρὸν τοῦτον· δῆλον δὲ ἐκ τοῦ ἐν τῷ δευτέρῳ Φέρεσθαι, ὃς ἔσχατος ἐδιδάχθη ὑπ' αὐτοῦ, εἰκόστῳ ἔτει ὕστερον· εἰ μὴ, δπερ εἰκὼς, ἐκ τοῦ δευτέρου τούτο μετενήνεκται· ἐκεῖ γὰρ ὅρθῶς ἔχει. Ηδη γὰρ ὁ Κορινθικὸς πόλεμος συνέστη τρισὶν ἢ τέτρασιν ἔτεσι πρότερον τοῦ Ἀντιπάτρου, ἐφ' οὗ ἐδιδάχθη.

Scholiasta igitur conjicit etiam ante bellum Corinthiacum Athenienses Corinthi mercenariorum praesidium habuisse, eademque opinio esse videtur alterius scholiastae qui annotat: τούτου καὶ Δημοσθένης ἐν αἱ Φιλιππιῶν<sup>1)</sup> μέμνηται: „ὅτι καὶ πρότερον ποτ' αὐτούς ξενικὸν τρέφειν ἐν Κορίνθῳ τὸν πόλιν, οὗ Πολύστρατος ἤγειτο καὶ Ἰφιράτης καὶ Χαβρίας. κ. τ. λ.; quae tamen Demosthenis verba ad idem spectant bellum Corinthiacum. Scholiastae autem verba, ut secum concinant, tali modo corrigenda videntur: δῆλον δὲ ἐκ τοῦ ἐν τῷ προτέρῳ Φέρεσθαι,.... εἰ μὴ, δπερ εἰκὼς, ἐκ τοῦ δευτέρου τούτο μετενήνεκται ἐκεῖ γὰρ ὅρθῶς ἔχει. Mirandum tamen scholiastam tali indicio non in eam potius suspicionem inductum esse, non primam, sed alteram editionem se manibus tercre. Ceterum e verbis allatis appetet in hoc versu nullam ei innotuisse utriusque editionis varietatem; conjicit versum forsitan e posteriore in priorem fuisse translatum, sed nihil de hoc habuit compertum.

1) Cf. Demosth. κατὰ Φιλίππου Α. 46 (19). Demosthenes ibi cives hortatur ut ipsi una cum milite mercenario contra Philippum bellum capessant, sicuti jam olim ad Corinthum usu venerat.: πολίτες, inquit, δὲ παρέειν καὶ ουμπλεῖν διὰ ταῦτα κελεύων ὅτι καὶ πρότερον — καὶ ὑπᾶς αὐτοὺς συστρατεύεσθαι.

Ad vs. 515:

ἢ γῆς ἀρότροις ῥήξας δάπεδον παρπὸν Δημοῦς θερίσασθαι.

scholiasta haec annotat: ἦν τὸ ἔπος τοῦτο τῆς μέσης κωμῳδίας ὅζει; quae animadversio satis inepta est, certe minime quadrat in mediae comoediae formam, qualem apud Anonym. de Com. p. XVIII descriptam legimus: ἡ μὲν γὰρ (κωμῳδία) καλεῖται παλαιὰ, ἡ δὲ ἀρχῆς Φανερῶς ἐλέγχουσα, ἡ δὲ μέτη, ἡ αἰνιγματώδες. Quid autem haec verba habent αἰνιγματώδες? Animadvertisendum potius versum hunc cothurnum referre et ad imitationem heroicae vel tragicae Musae compositum esse: eujusmodi dieta non pauca in Aristophanis comoediis extant, ut in hac ipsa fabula: vs. 657, πέλανος Ἡφαίστου Φλογὶ; vs. 771, σεμνῆς Παλλάδος κλειδὺ πέδον; vs. 601, ὁ πόλις Ἀργοὺς, κλέψθ' οἴα λέγει; vs. 603, τὶ πάθω τλήμων; vs. 605, εἶμι δὲ πολ γῆς; et vs. 639 sq.

Xer. ἀναβούσσομαι τὸν εὔπαιδα, ναὶ  
μέγα βροτοῖσι φέγγος, Ἀσκληπιόν.

Thierschius<sup>1)</sup> autem e scholio hoc colligit, interpretem significare voluisse versum laudatum e secunda in priorem editionem translatum esse, cui assentiri non possum. Quid enim obstat quominus jam in priore Pluti editione scholiasta vestigia quaedam mediae comoediae odorari sibi videretur? Quare hunc versum ex eorum numero, qui ad diversas editiones spectare creduntur eximendum censeo.

1) Prolegg. in Pl.

Vs. 1142:

μὴ μησικαιήσῃς εἰ σὺ Φυλῆν κατέλαβες,

manifesto spectat ad tempus illud, quo Phyle primum a Thrasybulo occupata, mox autem expulsis triginta tyrannis ἀνηπτίᾳ sancita est, qua oligarchiae fautores, et democratae propugnatores injuriarum immemores se fore juraverant<sup>1)</sup>; hoc est, quinque annis post primam Plati editionem (408—403). Res igitur scrupulum movere debuit interpretibus, qui priorem Plutum se legere putarent. Scholiasta more suo difficultatem explicat: τοῦτο οὖν ἔσικέ τις ἐκ τοῦ δευτέρου Πλούτου μετενέγκων ἐνθάδε διηγωρῆσαι τῆς ἀλογίας τάῦτης, ἢ καὶ αὐτὸς δ ποιητὴς ὑστερού ἐνθεῖναι ἀπὸ τῶν συνθηκῶν τῶν Ἀθήνησι γενομένων πρὸς τοὺς καταλαβόντας Φυλῆν. Putavit Scholiasta aut aliquem, neglecta temporum ratione, hunc versum e secunda in primam fabulae editionem intulisse, aut ab ipso poëta versum postea insertum esse. Videamus etiam hic bono interpreti aquam haerere eumque ignorare utram Plutum legeret, quodnam inter utramque esset lectionis disserimen, atque, si qua esset varietas, utrum haec a poëta an a grammatico esset profecta.

Omnibus his collatis efficere nobis licet, interpretes istos, quam duplēm Pluti editionem crepant, meras jactare conjecturas, nullas autem habuisse notas, quibus ambae inter se distinguerentur; ubi autem afferunt aliquam lectionis varietatem, hanc potius librariorum incuriae aut grammaticorum interpolationi quam duplēi lectioni esse tribuendam.

1) Cf. Xenoph. Hell. II, 4, 40.

Unum tamen extat testimonium, in quo primae Pluti editionis diserte mentio fit. Scholiasta ad Ran. vs. 1093 affert haec: *καὶ ἐν Πλούτῳ πρώτῳ,*

*τῶν λαμπαδηφόρων τε πλεῖστου αἰτίαν τοῖς ὑστάτοις πλατειῶν,*

qui versus in nostra fabula non reperitur neque ullo loco inseri commode potest. Est enim tetrameter iambicus acatalecticus, cuiusmodi metrum nusquam in Pluto occurrit. Thierschii autem conjectura versum in tetrametrum catalecticum refingentis hunc in modum:

*τῶν λαμπαδηφόρων τε πλεῖστου αἰτίαν πλατειῶν τοῖς ὑστάτοις,*

prorsus inutilis est, quum ipse fateatur, etsi hoc metri genus in nostra fabula vs. 253—377 occurrat, verborum tamen sensum obstarere, quominus usquam inculcari hic versus queat: spectat enim ad lampadum certamen, cuius in Pluto nulla est mentio. Quum vero unicus sit hic versus qui e prima fabulae editione affertur, neque praeterea ullum exstet indicium primam Plutum grammaticis superstitem aut saltem lectam fuisse, non absurdum, opinor, erit suspicio, grammaticum errore versum istum τῷ πρώτῳ Πλούτῳ adscripsisse, qui fortasse vel ex alia comoedia vel ex aliis poëtae fabula simili titulo inscripta (nam et Cratini et Archippi et Nicostrati Πλούτοι memorantur) esset depromptus. Fattendum certe in ceterorum testium omnium silentio hujus unius testimonium non maximi esse ponderis.

## § 2.

Praeter illas vero quas ex scholiis attuli lectionis discrepantias, aliae etiam extant in codicibus, e quibus recentiores critici, in his Hemsterhusius, Brunckius, Fischerus, duplicis editionis vestigia agnoscere sibi visi sunt. De his igitur deinceps videamus.

Vs. 158 sq.

*αισχυνόμενοι γὰρ ἀργύριον αἴτεῖν θεως  
δυσματι περιπέττουσι τὴν μοχθηρίαν.*

Sensus manifestus est; dicit enim comicus: *quum erubescant argentum poscere pueri ab amatoribus, pretii loco munera accipiunt, equum, canes venaticos, et ita honesto nomine obtalgunt nequitiam.* *ἔνομα* igitur idem est, quod *πρόταχημα, species, qua factum velatur.* Ita *ἔνομα* opponi solere τῷ ἔργῳ, h. l. τῇ μοχθηρίᾳ, notum est.

Eur. Or. 448:

*ὄνομα γὰρ, ἔργον δὲ οὐκ ἔχουσιν οἱ φίλοι.*

Plato de Legg. X, p. 886. E.: *λόγοισι δὲ ταῦτα εὖ πως εἰς τὸ πιθανὸν περιπεπεμμένα.* Scholiastes ad verba δυσματι περιπέττουσι hanc explicationem affert: *διὰ τὸ τῷ ποσθέτῳ κοσμεῖσθαι κόσμῳ.* ὁ αὐτὸς Θεσμοφοριαζόσκις.

*ὅτι ἦν περίεργόν αὐταῖς τῶν Φορημάτων,  
ὅσαις τε περιπέττουσιν αὐτὰς προσθέτοις.*

Ad quem locum Hemsterh. dicit se non videre quorsum haec verba spectent, nisi in prima Pluti editione vice ὀνόματος fuerit aliud vocabulum, cui hacc annotatio apte responderit. At scholiasta conferendis his versibus nihil aliud indicare voluit nisi hoc: ὀνόματι περιπέττειν idem significare quod προσθέτῳ κόσμῳ περιπέττειν, idque allato e Thesmophoriazusis exemplo declarat. Ergo de duplice lectione nihil est quod hic cogitemus.

Vs. 520 sq.

κερδαίγειν βουλόμενός τις  
ἐμπορος ἥκων ἐν Θετταλίας παρὰ πλείστων ἀνδραποδιστῶν.

Ita omnes libri; aliquis autem vir doctus, teste Hemsterhusio, conjectit ἀπίστων, atque in eandem lectionem se quoque incidisse fatetur, his inductum scholiastae verbis: διαβάλλονται δὲ οἱ Θετταλοὶ ὡς ἀνδραποδιστῶν καὶ ἀπίστοι· ἀεὶ γὰρ τὰ Θετταλῶν ἀπίστα. καὶ Εὐριπίδης (ἐν Ιυστ.):

πολλοὶ παρῆσαν, ἀλλ' ἀπίστοι Θετταλοί.

Ex isto tamen scholio duplcam lectionem fuisse concienti Hemsterhusio nemo facile assentiatur. Scholiasta enim non lectionem ἀπίστων ob oculos habuit, sed Thessalos plagiarios et infidos fuisse monet. Ceterum jure Hemsterhusius et ἀπίστων, ut auribus ingratum propter homoeoteleuton ἀνδραποδιστῶν, repudiavit, et alteram conjecturam ἀπλήστων missam fecit vulgataque in lectione acquievit. Nam et alibi πλεῖστοι pro magna multitudine ponitur, ut apud Plat. Protag. p. 342 B: Φιλοσοφία γάρ ἔστι παλαιοτάτη καὶ πλείστη τῶν Ἑλλή-

νων ἐν Κρήτῃ τε καὶ ἐν Λακεδαιμονίῳ· καὶ σοφισταὶ πλεῖστοι γῆς ἔκει εἰσιν etc.

Vs. 581 (577):

Ἄλλ', ὁ Κρονικὸς λύματις ὅντως λημῶντες τὰς Φρένας ἀμφα.

Secundum scholiastam, quem descriptsit Suidas, antiquitus duplex ferebatur hic lectio: ἀντὶ τοῦ γνώματος γράφεται λύματις. Hemsterhusio difficile videbatur dijudicatu, utrum amborum ab Aristophane esset profectum, neque absonum putabat hanc varietatem e duplice Pluto repetendam esse. In quo equidem viro docto non assentior. Nam multum abest ut γνώματις sensui aequi conveniens sit putandum atque λύματις; in illo enim verbo plerumque consilii, prudentiae, significatio inest, quae non congruit cum lippitudine. Quare γνώματις potius correctionem habeo interpretis, qui leporem dictio-  
nis Κρονικὴς λύματις non caperet. Κρονικὴς λύματις λημῶν significat occaecatum esse stolidis opinionibus et superstitionibus obsoletis, quae redolent aevum Saturnium: quod cum acerba irrisione in senes dictum est. Hoc sensu Κρόνος et Κρονικὸς apud comicos saepe ponuntur de inceptiis quas jam dies deleverat. Plat. Euthyd. c. 38: οὕτως εἶ Κρόνος. Aristoph. Nubb. vs. 397:

ὁ μωρέ συ καὶ Κρονίους ἔχων καὶ βεκκεστέλλων.

Ex his igitur satis colligi posse arbitror alteram lectionem esse glossam neque adeo de dupli editione hic esse cogitandi locum.

Vs. 656 (660):

ἐπεὶ δὲ βωμῷ πόπανα καὶ προθύματα  
καθασιάθη, πέλανος Ἡφαιστου φλογί.

Ad hunc locum scholiasta annotat: *καὶ προθύματα*: γράφεται καὶ θυλήματα σημαίνει δὲ (*προθύματα*) τὰ προκατάργυματα, ἢ τὰ πρὸ τῆς θυσίας γινόμενα θυμιάματα, ἢ πλακούντια. Ergo antiquam fuisse hanc quoque lectionis varietatem appareat, unde tamen effici non potest alteram priori, alteram posteriori Pluto adscribendam esse: nam ambo ista vocabula vicinae significationis sunt aut certe habentur, quare alterum pro glossa alterius habendum esse probabile est Si optio facienda est, mihi θυλήματα germana lectio videtur. Usitata haec vox est Atticis<sup>1)</sup>, qua significantur secundum Hesychium: βεβρευμένα μέλιτι ἄλφιτα, ἢ θυμιάματα ἐπὶ βωμῶν, h. e. farra melle imbuta, vel suffimenta. Si posterius amplectimur, optime jungentur πόπανα καὶ θυλήματα, sicut alibi πόπανοι καὶ λιβανωτός. Vid. fragm. Comic. Meinekii, vol. III. p. 90. Similiter apud Virg. Aen. VI, 225 junguntur haec:

congesta cremantur  
Thurea dona, dapes, fuso crateres olivo;

ubi dapes sunt *liba* quae *thuri* adduntur; in quo non erat quod Peerlkampius haereret<sup>2)</sup>.

Quid autem significant *προθύματα*? Scholiasta sic

1) Exempla habet Steph. Thes. in V.

2) De liborum et bellariorum Diis oblitorum genere enucleate agit Lobeck. Aglaoph. p. 1082 sqq.

explicat: προθύματα δὲ, τουτέστιν, η τὰς δλύρας, παρὰ τὸ προθύεσθαι τῶν ιερείων, η κριθής, η λιβανωτόν. Si vero scriptores veteres inspicimus, προθύματα sunt sacrificia quae ante rem gerendam vel ante solemnia festa instituuntur ad placandos deos. Sic apud Eurip. Iph. Aul. 1292, de Iphigenia dicitur:

πρόθυμα σ' ἔλαζεν "Αρτεμις πρὸς Τλιον.,

et lapis in Boeckhii C. I. Vol. I. p. 253 habet πρόθυμα τῆς ἑσπερῆς. Hoc sensu cunctae illae dapes, quae offeruntur Aesculapio, dici poterant πρόθυμα. Habet igitur hoc vocabulum generalem significationem, non vero certam notat sacrificii speciem, qualis hic requiritur. Quod adjicitur πέλανος ΗΦΑΙΣΤΟΥ ΦΛΟΥ, dubitant grammatici veteres sitne ἀσυνδέτας junctum cum πόπανη et θυλήματα, ut supplendum sit καὶ, an ἐρμηνείας ἔνεκα, per appositionem, adjectum sit praecedentibus. Posterior sine dubio verum. Ceterum verba haec tragicum sonant. Sic Aeschylus Agam. 96:

λαμπάς ἀνίσχει . . . πελάνη μυχίθεν βασιλείῃ.

Vs. 767 (771):

Ἐπειτα σεμνῆς Παλλάδος κλεινὸν πέδον.

Pro vulgata lectione Stephanus Byzantinus sub v. ΛΘΥΝαι habet κλεινὸν πόλιν. Scripturae similitudo ambarum vocum ΠΟΛΙΝ et ΠΕΔΟΝ talis est, ut facillime potuerint permutari; hoc tamen loco πέδον ut grandius anteponendum videtur vocabulo πόλις, quemadmodum Aeschylus Choëph. vs. 1032 Delphos appellat

*Λοξίου πέδου.* Pro hoc a geographo verba fortasse memoriter recitante πέλνη, ut usitatius, suppositum esse probabile est. Nullam igitur hic lectionis varietatem agnosco. Quo igitur jure Fischerus hanc varietatem e duplii editione repetendam opinatus sit dijudicatu facile est.

Haud majorc jure ejusmodi suspicio cadit in vs. 812 (815), qui in Cod. Rav. sic legitur:

ὅ δὲ ἵπνὸς γέγονος ἡμῖν ἐξαπίνης ἐλεφάντινος.

Lectio variat inter *ἵπνός* et *εἴπος* sive *ἵπος* (librarii enim pro : longo ει scribere solebant). Scholiaстae Pluti ad unum omnes *ἵπνός* legerunt et explicant *υαγειρεῖον* (culinam), *καπνοδόχην* (fumarium), *Φαγόν* (laternam), *Φωρυεύτιον* (furnum), *ἔστιχν* (focum), *πλιβάνων* (fornacem), in genere: ἐν τοῖς ἵπνοισι πῦρ. Sed Pollux legit *εἴπον*, quod *muscipulam* dicit significare his verbis: Ἀριστοφάνης ἐν Πλαύτῳ εἴπον τὴν μαδύραν καλεῖ. Quam interpretationem a Bentleio, hoc saltem loco, comprobata esse mirari subit. Pollucis, Bentleii et Brunckii muscipulam effugiens risit Thiersch; Dawesii laternam fregit Brunckius. Neque audiendi sunt alii, qui foricam aut sterquilinium cogitaverunt. Jam Brunckius et Hemsterhusius alteram lectionem priori, alteram posteriori fabulae tribuendam esse censuerunt; quis tamen credat poëtam, si prius de foco vel camino locutus esset, id postea in muscipulam mutasse?

Ex exemplis quae attuli colligi potest lectionis va-

rietatem, qualiscunque sit, nonnisi e grammaticorum glossis et librariorum erroribus esse natam, neque ullum in hoc duplieis Pluti editionis indicium exstare. Quare opinio eorum qui his rationibus inducti Plutum nostram e dupli editione conflatam esse crediderunt omni fundamento caret. Praeterea vero, si poëtae fabulas retractatas in scenam producerent, non in singulis tantum verbis mutandis operam collocabant, sed quae aut in priore editione minus placuisse aut praesenti tempori minus convenienter, ea missa faciebant vel immutabant.<sup>1)</sup> Ita Aristophanes in altera Nubium editione, codem servato arguento, quae minus plenissent missa fecit ac totam fere fabulam mutavit ita aut emendavit ut alia circumcidet, alia annexuerit, qn in etiam rerum ordinem et personas transformaverit, ut latius explicat scriptor Argumenti VI Nubium his verbis: τοῦτο ταῦτόν ἔστι τῷ προτέρῳ διεπεύασται δὲ ἐπὶ μέρους, ὡς ἂν δὴ ἀναδιδάξαι μὲν αὐτὸ τοῦ ποιητοῦ προθυμηθέντος, οὐκέτι δὲ τοῦτο δὶ ἦν ποτε αἰτίαν ποιήσαντος. καθόλου μὲν οὖν σχεδὸν παρὰ πᾶν μέρος γεγενημένη διέρθωσις· τὰ μὲν γὰρ περιήργται, τὰ δὲ παραπεπλέκεται, καὶ ἐν τῇ τάξει καὶ ἐν τῇ τῶν προσώπων διαλλαγῇ μετεσχημάτισται. Rem ipsam poëta in celebrata illa Nubium parabasi, in qua de judicium suorum inscritia queritur, disertis verbis significat. Verum post Nubes nullam aliam fabulam de integro recentavit, si vera sunt, quae in Nubium Argumento V leguntur: Ἀριστοφάνης ἀπορρίφθεὶς παραλόγως φύῃ δεῖν ἀναδιδάξαι τὰς Νεφέλας τὰς δευτέρας καὶ ἀπομέμφεσθαι τὸ

1) Cf. Thiersch. Prolegg. in Plut. p. cmlxix.

θέατρον. ἀπότυχών δὲ πολὺ μᾶλλον καὶ ἐν τοῖς ἔπειτα  
οὐκέτι τὴν διασκευὴν εἰσήγαγεν. Vocabulum διασκευὴ hic  
e grammaticorum sensu de correctione fabulae accipien-  
dum videtur.

## § 3.

Jam videamus argumenta quibus probetur nos legere  
Plutum posteriorem. Hic primo loco in censem veniunt  
quae ἐκ τοῦ δευτέρου Πλούτου nominatim laudantur.

Athenaeus L. IX. p. 368, ἐκ τοῦ δευτέρου Πλούτου  
citat:

οἵμοι δὲ πωλῆς ἦν ἐγὼ πατήσθιον,

quae est Mercurii querela vs. 1125.

Scholiasta Venetus ad Hom. Il. ψ. v. 361 haec  
notat: παρ' Ἀριστοφάνει ἐν Πλούτῳ δευτέρῳ:

ἴνα τούτοις ἴμάτιον Φορῶν μεμνῆστο μου,

quibus verbis Sycophantam Justus ludit vs. 988 (992).

Eustathium duplēcē fabulam ignorasse, quum uni-  
verse citare soleat παρὰ παριη̄ vel παρ' Ἀριστοφάνει,  
etsi affirmari nequit, tamen perquam probabile est.

Denique in fabulae Hypothesi postrema Plutus ar-  
chonte Antipatro, Ol. 97 = 388, docta esse dicitur,  
quod tantum in secundam editionem quadrat, neque  
admitti potest, Argumentum illud a rei ignaro priori  
fabulae, viginti annis ante actae, adscriptum fuisse.

Secundo loco hoc probant personae, quae in Pluto  
tanguntur, omnes quae posterioris fabulae tempore  
floruerunt. Sunt autem hae:

In colloquio Chremylum inter et Carionem, ubi Pe-  
cuniam plurimum valere et Pluti ope omnia effici  
ostenditur, hi aequales notantur, vs. 173—180:

Καρ. τὸ δὲ ἐν Κορινθῷ ξενικὸν οὐχ οὕτος τρέψει;  
Χρεμ. ὁ Πάμφιλος δὲ οὐχὶ διὰ τοῦτον κλαύσεται;  
Καρ. ὁ βελονοπόλιος δὲ οὐχὶ μετὰ τοῦ Πάμφιλου;  
Χρεμ. Ἀγύρριος δὲ οὐχὶ διὰ τοῦτον πέρδεται;  
Καρ. Φιλέψιος δὲ οὐχ ἔνεκα τοῦ μύθους λέγει;  
· · · · ·  
Χρεμ. ἐφὶ δὲ Λαΐς οὐ διὰ σὲ Φιλωνίδου;  
Καρ. ὁ Τιμοθέου δὲ πύργος —

Deinde inter Chori σκάμματα perstringitur v. 314  
Ἄριστυλλος ὑπερχάσκων. In eos qui discernere neque-  
unt, quid distent aera lupinis, dicitur v. 550:

ὑμεῖς γ', σῖπτρο καὶ Θρασυβούλῳ Διονύσιον (Φωτε)  
εἶναι δύοισι.

Vs. 602 nominatur Παύσων ξύσσιτος Πενίας, et inter  
caecos et lippes qui in templo Aesculapii curantur tan-  
gitur NEOCLIDES, in quem vs. 665 sq. dicit:

εἰς μὲν γε Νεοκλείδης, δε ἐστι μὲν τυφλός,  
κλέπτων δὲ τοὺς βλέποντας ὑπερηκόντισεν,

quem Deus belle tractatum cum ludibrio dimittit, di-  
cens vs. 724 sq.

ἐνταῦθῃ νῦν κάθητο καταπεπλατυένος,  
ἴνι ἐπομνύζενον παύσω σε τῇς ἐκκλησίαις.

Denique vs. 800 sq. ridetur unus spectatorum DEXI-  
NICUS his verbis:

Γυνὴ. εὖ πάντα λέγεις· ὡς Δεξίνικος οὗτοι  
ἀνίσταθ' ὡς ἀρπασόμενος τὰς ἰσχάδας.

Hic sunt qui a poëta nominantur, quorum in numero alii sunt nobiles aut certe in historia noti, alii ignobiles vel obscuri; omnes autem vixerunt circa id tempus in quod secunda Pluti editio cadit.

De plerisque horum jam dixit Thierschius, cuius ne dicta iterem, sufficiat ea animadvertere quae ad rem praesentem pertineant.

Inter nobiles quos Comicus tangit illius temporis viros est **TIMOTHEUS**, qui decem fere annis post alteram Pluti editionem inclaruit in bello quod ab Atheniensibus et Thebanis contra Spartanos geri coepit est Ol. 100,2 = 378 a. C.<sup>1)</sup>). Timotheus tum classi praefectus Peloponnesi oras vexavit ac postremo Coreyram occupavit. Ex Aristophanis versu laudato apparet, Timotheum eo tempore occupatum fuisse in aedificanda alta domo, *πύργον* vocat poëta, quae res multorum excitavit invidiam. Manifestum autem est eum id fecisse mortuo denum patre Conone, cuius mors incidit quatuor annis ante archontem Antipatrum, sub quo Plutus iterum edita est. Congruit hoc cum eo quod aliunde discimus, illum post mortem patris aliquandiu luxuriosius vixisse et fastu inter cives insignem fuisse<sup>2)</sup>). Quod scholiasta h. l. memorat Timothei dictum: *καταπιενάτας δὲ πύργον, τὸν ἀπὸ τύχης ἐφη κατεσκευανέναι, ἀλλ' ἀπὸ ἀνδρείας*, id cadere non potest in hoc tempus, quippe

1) Hell. V, 4, 20—63.

2) Cf. Suidas, s. v.

qui postea demum rebus gestis et virtute inclarerit; nisi credamus eum per jactantiam paternae virtutis laudem sibi vindicasse.

Non minus clarus est THRASYBULUS, libertatis ille vindex, qui paullo ante posteriorem Pluti editionem mortuus esse traditur<sup>1)</sup>. Poëta versu laudato tangere videtur eos qui de viro illo iniquius judicarent deque ejus laudibus detrectarent, quorum in numero sunt Lysias, in *Ergoclēm* § 8<sup>2)</sup>, quique adeo eum ut superbū et imperiosum Dionysio aequipararent. Dionysius autem natu major eodem anno, quo triginta tyranni Athenis dominabantur, tyrannidem Syracusis invasit<sup>3)</sup>. Perperam vero nonnulli interpretes hic de alio Dionysio cogitarunt. In scholio legimus: μᾶλλον δὲ ἀν τις ὑπουργός σετεν ἔτερον Διονύσιον, Θρασύβούλου τοῦ Κολλυτέως ἀδελφὸν ἔγινεται συγγενεῖας εἶναι: quae opinio nihil videtur nisi commentum eorum qui primam Plutum se legere putantes pro Thrasybulo Lyci f. alium ejusdem nominis substituendum putarent; quamquam Thrasybulus quoque Colyttensis ejusque frater Dionysius, teste Xenophonte (Hell. V, 1, 26), in bello Corinthiaco copiis praefuerunt: quare, quum neutrius horum viginti annis ante mentio fiat, hi quoque ambo ad posterioris Pluti tempus referendi sunt.

1) Xenoph. Hell. IV, 8, 31.

2) Θρασύβούλος μὲν οὖν, ὁ ἄνδρες Ἀθηναῖος, οὐδὲν γὰρ δεῖ περὶ αὐτοῦ πλεῖστον λέγειν) καλῶς ἐποίητεν οὐτας τελευτῆς τὸν βίον. οὐ γάρ εἴδει αὐτὸν οὔτε ζῆν τοιαύτοις ἔργοις ἐπιβουλεύοντα, οὐθ' ὡφ' ὑμῶν ἀποθανεῖν ζῆν τὴν δοκοῦντα θρᾶς ἀγχθὸν πεποιηκέντα.

3) Xenoph. Hell. II, 2, 24: καὶ δὲ ἐκαυτὸς ἔληγε ἐν ᾧ μετοῦντι Διονύσιος — ἐπερδυνός. Cf. Diod. Sic. XIII, 14 sqq.

Eodem anno quo mortuus est Thrasybulus ΑΓΥΡΗΙΟΣ missus est Aspendum επὶ τὰς ναῦς (Xenoph. Hell. IV, 8, 31), qui tamen nihil praecclare egit. Fueritne hoc tempore praesens Athenis an absens, non constat; e verbis autem poëtae colligi potest, eum opibus inflatum superbia et mollitie insignem fuisse, unde πέρδεσθαι dicitur. Idem non minus acerbe notatur in Ecclesiazusis, quae fabula non multo ante posteriorem Plutum acta est, vs. 102 sqq.:

Αγύρριος γοῦν τὸν Προσόμου πάγων' ἔχων  
λέληθε· καίτοι πρότερον οὐκ αὐτὸς γυνή·  
υνὶ δ', ὀρῆς, πράττει μέγιστον ἐν τῇ πόλει <sup>1)</sup>.

Idem a scholiasta Eecel. vs. 102 dicitur poëtarum mercedem imminuisse: ὁ Αγύρριος στρατηγὸς θηλυδριώδης, ἄρξας ἐν Λεσβῷ· καὶ τὸν μισθὸν δὲ τῶν ποιητῶν συνέτεμε.

PAMPHILUS aliquot annis post alteram Plutum στρατηγὸς creatus et in Aeginam missus, ibi a Lacedaemoniis, duce Gorgopa <sup>2)</sup>, obsessus est. Invisum se reddidit propter furta, quae ei exprobravit Plato in Amphiarae (in Meinekii Fragm. Poëtt. Com. Vol. II, p. 618):

καὶ νὴ Δί! εἰ Πάμφιλον γε φαινεῖς  
κλέπτειν τὰ κοῖν' ἀμά τε συκοφαντεῖν.

1) Id ex eo apparent quod v. 194 sqq. memoratur bellum Corinthiacum, quod Ol. 96, 3 = 393 a. C. exarsit. Diod. Sic. XIV, 86: Cf. Bode, Gesch. d. dram. Dichtk. d. Hell. II, p. 361.

2) cf. Xenoph. Hell. V, 1, 2.

Vetus interpres ad h. l. de eo haec addit: ἀλεῖς  
ἐπὶ ποτῷ τὰν δημοσίων χρυσάτων ἐξέπεσε δημευθεῖς. —  
Alius Pamphilus vs. 385 memoratur, qui Heraclidas  
supplices Athenas venientes pinxerat, cui picturae no-  
men haesit Ἡρακλεῖδαι Παμφίλου. Ita quidam scholiasta,  
alius vero drama quoddam hoc titulo intelligendum  
putat. Ceterum hic Pamphilus, sive pector sive poëta  
fuerit, certe parum notus est.

LAÏS notissima ἑταῖρα, de cuius vita et aetate multa  
parum congruentia ab antiquis interpretibus narrantur,  
quae extricare non est hujus loci, hic Philonidem  
propter divitias amasse dicitur. Scholiasta narrat eam  
septem annos natam ab Atheniensibus in Sicilia (415  
a. C.) captam et Corinthum abductam fuisse. Quod  
si verum est, quo anno prior Plutus edita esse fertur  
(408 a. C.) Laïs decimum quartum aetatis annum  
agens nondum, ut recte animadvertis Thierschius, πε-  
ριβοητὸς esse potuit, quod contra optime quadrat in  
tempus alterius Pluti. Non audiendus igitur Athenaeus,  
qui pro *Laide* substitui voluit *Naida*<sup>1)</sup>.

Quod autem ad PHILONIDEM attinet, luce clarius  
est hunc Atheniensem fuisse atque errare scholias-  
tam qui eum civem Corinthum fuisse perhibet. Ce-  
terum fuit homo obscurus, ab altero ejusdem nominis  
bene distinguidus, ut recte scholiasta: Φιλωνίδην  
δὲ οὐ τὸν ποιητὴν Φύσι τὸν ἐν τοῖς Ἀριστοφανεῖοις ἔγγε-  
γραμμένον δράματον, ὃς οἱ περὶ Καλλίστρατον, ἐν τῇ δια-  
νυμίᾳ πλανηθέντες. Philonides enim poëta saepius in  
Aristophanis fabulis docendis chori magistri munere

1) Athen. XIII, 7. p. 592. Thierseh. Prolegg. in Pl. p. CDLXXI.

functus est. Docuit Vespas, Proagona<sup>1)</sup>, utramque Pacem (Arg. P. III) et Amphiaraum (Arg. Avv. II). At qui hic notatur fuit homo tam corpore vastus quam ingenio inanis, unde a comicis Nicocharete, Philullio, Platone, Theopompo saepe exagitatus est<sup>2)</sup>. Plato in *Aet.* haec in eum dicit:

. . . . οὐκ ὅρθες ὅτι  
Φιλανίδην που τέτοιεν ή μήτηρ ὅνου  
τὸν Μελιτέα, κ' οὐκ ἔπαθεν οὐδέν;

PHILEPSIUS, qui lucri faciendi gratia μύθους λέγειν hie dicitur, obscurus homo est. Forsitan notatur ut vanus orator qui commentis et fabellis multitudinem deciperet. Similiter Demosthenes *de Cor.* § 149 in Aeschinem dicit: λόγους εὐπροσώπους καὶ μύθους συνθεὶς καὶ διεξέλθων ἀνθρώπους ἀπείρους λόγων πειθεῖ.

PAUSO, qui Paupertatis conviva vocatur secundum scholiastam pictor egenus fuit.

DEXINICUS ut fieum aridarum quae in theatro spargerentur avidissimus ridetur vs. 800:

. . . ὡς Δεξίνικος οὗτοι  
ἀνίσταθ', ὡς ἀρπασόμενος τὰς ισχάδας.

Simile quid Aeschini objicit Demosthenes *de Cor.* § 262: ἐτριταγωνιστεῖς σῦνα καὶ βότρυς καὶ ἐλάς συλ-

1) Argum. Vesp. I.

2) Cf. Mcinek. Fr. Com. Vol. II<sup>b</sup> p. 637 et 798.

*λέγων.* Unde colligi licet, interdum bellaria in theatro sparsa fuisse sive ab histrionibus sive a spectatoribus. Fuit forsitan hic Dexinicus ex tali histrionum genere, quale ibi a Demosthene notatur.

Vs. 312, ARISTYLLUS ὑποχόριον in Ecclesiazusis quoque v. 647 sq. notatur ut protervus adolescens, cuius patrem se esse nollet Blepyrus.

NEOCLIDES lippus, quem Aesculapius sanare recusans vss. 716—725 ludibrio habet atque malo auctum templo expellit, tangitur item in Ecclesiasuzis, ubi vss. 254 et 419 Νεοκλίδης ὁ γλάυκος vocatur.

Videmus igitur notos homines qui in Pluto ridentur fere circiter annum 388 a. C. floruisse, eorum autem qui in historia ignoti sunt mentionem etiam factam esse in Ecclesiazusis, quae fabula non multo ante alteram Plutum edita est.

Ista autem aequalium castigatio Kustero aliisque non paucis persuasit nos partim in priore fabula versari, putantibus quippe alterius fabulac tempore lege vetitum fuisse ne quis in scena nominatim tangeretur. Revera ejusmodi psephisma memorat Anon. de Vit. Aristoph. p. XXXVII: φυφίσματος γὰρ γενομένου χορηγοῦ (χορηγοῦ recte Meinek. et Cobet.) ἀστε μὴ διομαστὶ κωμῳδεῖν τινα, καὶ τῶν χορηγῶν οὐκ ἀντεχόντων — ἔγραψε Κώνσαλον. Thierschius autem existimat legem istam post expulsos triginta viros antiquatam esse et pristinam libertatem restitutam, quoniam et in Ecclesiazusis et in Pluto multi nominatim carpantur. Res vero aliter

explicanda est. Numirum lex illa non interdixit ne quis in scena conviciis peteretur, verum ne scriberetur comoedia in aliquem, ne quis in scena ageretur, quemadmodum Pericles a Cratino, Alcibiades ab Eupolide in Baptis, ab Aristophane in Equitibus Cleon, in Nubibus Socrates ludibrio habiti fuerant. Atque eandem legem jam ante priorem Plutum exstitisse, effici potest e scholio ad Ayes, vs. 1297, ubi legimus: Συρακόσιος — δοκεῖ — ψήφισμα τεθεικέναι μὴ κωμῳδεῖσθαι ὄνομαστὶ τίνα, ἡς Φρύνιχος ἐν Μονοτρόπῳ Φησι· ψῶρ' ἔχε (ἔχει;) Συρακόσιον. ἐπιφανῆς γὰρ αὐτῷ οὐκὶ μέγα τύχοι. ἀφείλετο γὰρ κωμῳδεῖν οὐς ἐπεθύμουν. διὸ πικρότερου αὐτῷ προσφέρονται.

Jam ex his Phrynichi verbis effici licet, legem a Syracosio latam non impedivisse quominus comicus ei scabiem imprecaretur, atque idcirco κωμῳδεῖν non significare conviciis petere, sed, ut Cobetus V. Clar. Obss. Critt. in Plat. Com. rell. p. 34—54 pluribus exposuit, scribere comoediam in aliquem, qui personatus in scena sic ageretur ut spectatoribus tanquam ineptus aut improbus proponeretur. Veteres autem interpretes κωμῳδεῖν peculiari significatione interpretantur ὄνομαστὶ, ἐξ ὄνοματος et αὐτοπροσώπως κωμῳδεῖν<sup>1)</sup>). Quo referri potest quod apud Anon. de Com. IX. p. XIX. legimus. Alcibiades scilicet Eupolidi infensus, cuius Baptis in scena derisus esset, poëtam militibus tradidit qui eum aut submergerent aut funiculo ligatum in mare praecipitem darent, Alcibiade increpante: βάπτε με τὸ θυμέλαιος, ἐγὼ δὲ σὲ ἀλημυροῖς θάσι κατα-

1) Cf. Cobet. Obss. Critt. in Plat. Com. rell. p. 12.

κλήσια. Eodem tempore Alcibiades legem tulisse diciatur μηχέτι Θανερῶς ἀλλά συμβολικῶς κωμῳδεῖν. Ergo lex illa aequales nominatim *agi* in scena vetabat, at conviciis proscindere eos nec prioris nec posterioris Pluti tempore comicis interdictum fuit<sup>1)</sup>.

## § 4.

Praeter illa, de quibus exposui, alia memorantur in Pluto, in quibus temporis indicia insunt.

Vs. 290 sqq. ubi tangitur PHILOXENI *Cyclops*, e quo Aristophanes, teste scholiasta, haec παρῳδεῖ :

. . θρεπτανελὸ . .  
... ἀλλ' εἰς τέκει θαμίν' ἐπαναβοῶντες,

eodem auctore scriptus est ad irridendum Dionysio majori, qui quo anno Athenac a Lysandro captae sunt Syracusis tyrannidem invasit<sup>2)</sup>), neque multo post Philoxenum ob consuetudinem cum pellice sua in lapicidinas detrusit. Quum vero Athenae a. 403 a. C. captae sint, prior autem Plutus quinque annis ante sit edita, patet hanc *Cyclopis* commemorationem non nisi in posteriorem eadere fabulam. Philoxenus fuga salutem quaesivisse dicitur, ac postea in insula Cythera degens Dionysium, uno oculo orbatum, Polyphemo assimilavit.

1) Cf. Cobet. Obss. Critt. in Plat. Com. vell. p. 120: Nunquam desierunt comici hujus actatis (comoediae mediae) aequales homines ineptos aut improbos nominatim reprehendere, sed mutata tempora cavillandi morem modumque mitigaverunt.

2) Cf. Xenoph. Hell. II, 2, 24. Diod. Sic. XIII, 14 seq.

## Vs. 170:

*μέγας δὲ βασιλεὺς οὐχὶ διὰ τοῦτον κομῷ;*

Haud dubie spectat Artaxerxis Mnemonis superbiam, qui divitiis fretus Graecos auro venales et discordes ita contemneret, ut circa Pluti posterioris tempora pacis conditiones eis praescriberet. Nam quo anno (388 a. C.) altera fabula edita est, Autalcidas Lacedaemonius jam in Asiam Minorem profectus erat ibique cum Tissapherne istam pacem machinabatur quae Spartanorum quidem in ceteros Graecos dominationem aliquamdiu redintegravit, sed cum ipsis, tum universae Graeciae opprobrio fuit. Animadvertendum quoque, Persarum regem prioris Pluti tempore non habuisse causam cur magnopere superbiret. Eo enim tempore Athenienses Byzantium aliasque urbes, duce Alcibiade, expugnaverant rebusque utebantur tam prosperis, ut Persas simul et Spartanos fere ad incitas redigerent<sup>1)</sup>.

## Vs. 173:

*τὸ δὲ ἐν Κορίνθῳ ξενικὸν οὐχ οὗτος τρέπει;*

Hic vs. de quo supra jam paucis egi, mentionem continet exercitus conductitii qui alebatur Corinthi. Jam e Xenoph., Hell. IV, 4, 9, discimus, Iphicratem, ducem Atheniensium, cum milite conductitio ad Corinthum, flagrante bello Corinthiaeo, contra Spartanos pugnasse. Quum autem bellum Corinthiacum aliquot annis ante posteriorem Plutum geri coeptum sit,

---

1) Cf. Xenoph. Hell. I, 3. et C. Nepos, Alcib. c. 5 et 6.

(a. C. 394—387,) versus iste alterius fabulae temporis  
convenit<sup>1)</sup>).

Vs. 177:

*ἡ ἔμμαχία δὲ οὐ διὰ τὰς τοῖς Αἰγυπτίοις;*

multos interpres torsit, quum scholiastarum enarrationes adeo confusae sint ut rem inde expedire nemo possit. Scholiaстae enim Cambysis, Amasidis, Inari, Amyrtaei, Acoridis et Nectanebi tempora respiciunt, quibus Athenienses Aegyptiis opem tulerunt. Optime vero versus hic in alterius fabulae tempora quadrat. Nam Xenophon Hell. V, 1, 10, tradit Chabriam, flagante bello Corinthiaco, in Cyprum Evagorae auxilio missum esse; Evagoras autem et Aegyptii eo tempore gravi bello cum Persis premebantur. E Diod. Sic. XV, 1, sqq. patet bellum hoc Cyprium motum esse anno ante quam Roma a Gallis incendio deleta est, nempe a. U. C. 364 = 389 a. C.; atque Chabriae expeditio in idem tempus cadit. Athenienses tum quidem cum Persis societatem habebant, sed eo majore jure poëta dicere potuit, societatem cum Aegyptiis pecuniae causa susceptam esse. Ejusmodi perfidiam Xenophon IV, 8, 24 notat. Narrat enim Teleutiam, Spartanorum ducem, decem Atheniensium triremes quae Evagorae auxilio mittrentur intercepisse, quo factum

1) Hell. IV, 5, 11—18, et Harpocration v. Ξενικὸν ἐν Κορίνθῳ. Δημοσθένης Φιλιππικοῖς καὶ Ἀριστοφάνης Πλούτῳ. συνεπήσατο δὲ αὐτὸν πρώτου Κένων, παρέλαβε δὲ αὐτὸν Ἰριχράτης Σωτερός καὶ Χαζρίας, φέρεται δὲ λαχεδαιμονιῶν μέραν κατέκοψαν, στρατηγοῦντος αὐτοῖς Ἰριχράτους καὶ Καλλίου, καθά ρησιν Ἀνδροτίων τε καὶ Φιλόχορρος. Cf. Clinton, in Fastt. Hell. ad a. a. C. 392.

ut utraque belligerantium pars sibi maximopere no-  
enerit. Athenienscs enim, etsi cum Persis societate  
juncti, nihil secius eorum hostibus in Cypro ope-  
ferebant; Spartani, captis iis navibus quae contra  
adversarios Persas profectae essent, hostibus suis  
multum profuerunt. Constat porro, non ita multo post  
Chabriam Acoridi Aegyptiorum regi suspectias tulisse<sup>1)</sup>,  
sed, querentibus Persis quod contra regem bellum  
gereret, domum revocatum et classi praefectum esse.  
Quare non improbabile videtur hoc loco tangi Cha-  
briam, quippe quem, ut vidimus, contra Artaxerxem  
Mnemonem, Atheniensium socium, pecuniae causa  
bellum gessisse constat.

Vs. 1142:

*αὴ μητικακῆσθε εἰ σὺ Φυλῆν κατέλαβες.*

Hic vs. jam a scholiastis, ut supra vidimus, posteriori  
fabulae annumeratus est. Constat enim Phylen a Thra-  
sybulo occupatam et ἀμησίαν oligarchos inter et  
plebem sancitam esse a. 403 a. C. Ceterum istud  
Φυλῆν καταλαβεῖν, ἀπὸ Φυλῆς κατελθεῖν ut factum glo-  
riosum a multis vulgo jactabatur. Lysias in Ergoel.  
§ 12, οἵμαι δ' Ἐργοκλέων . . . οὐκ ἐπιχειρήσειν ἀπολογεῖ-  
σθαι, ἔρειν δ' ἡς ἀπὸ Φυλῆς κατῆλθε. Demosth. in Ti-  
moer. p. 794 A. refert Thrasylbum Collytensem δις  
δεθέντα, Καίτοι, inquit, τῶν ἐκ Πειραιῶς οὐλὶ ἀπὸ Φυ-  
λῆς οὗτος ήν.

1) Diod. Sic. L. XV.

Vs. 329 sq.:

*δεινὸν γὰρ, εἰ τριωβόλου. μὲν οὖνεια  
ἀστιξέμεστ' ἐκάστοτ' ἐν τῇ ἀκληγίᾳ.*

Haec quoque posteriori fabulae vindicari possunt.  
Nam concionantium mercedem eo tempore trium obo-  
lorum fuisse ex Ecclesiazusis vv. 380 et 392 patet.  
Plura hac de re observavit B. Thierschius Prolegg. in  
Plut. p. CDLXXIV.

Idem recte, ut mihi videtur, opinatur,

vs. 846:

*οὐκ ἀλλ' ἐνεργήσωστ' ἔτη τρίχ καὶ δέκα,*

ad posteriorem Plutum esse referendum. In prae-  
cedentibus enim versibus Justus cum servo heri pal-  
lium et soleas ferente in scenam prodit, atque a  
Chremylo rogatus quid sibi velint τὸ τριβόλιον καὶ  
τὰ ἐμβάδια, in his per tredecim annos se alsisse  
respondet. Per tantum autem spatium Athenae et  
moenibus et navibus caruerant. Tunc vero Cononis  
reditu moenia Athenarum refecta resque navales Per-  
sarum opibus et auxilio denuo instauratae sunt circa  
a. a. C. 394—390, hoc est, paullo ante quam poste-  
rior fabula scenae commissa est.

Deinceps videamus quid de nostrae fabulae consilio  
et indole statuendum sit.

## II.

## DE FABULAE CONSILIO.

## § 5.

De Pluti consilio communis plerorumque interpretum tam veterum quam recentiorum sententia haec fuit: Aristophanem scribenda hac fabula id sibi habuisse propositum ut dominantem apud cives suos iustitiam et avaritiam castigaret.

Primi Argumenti auctor haec scribit: Βιωλόμενος Ἀριστοφάνης σκώψαι τοὺς Ἀθηναίους ἀδικίᾳ καὶ συκοφαντίᾳ καὶ τοῖς τοιούτοις συνόντας καὶ διὰ τοῦτο πλουτοῦντας κ. τ. λ. Haec autem vitia quum ejusmodi sint ut non certorum populorum hominumve propria, sed omnium fere gentium et aetatum communia sint, inde multorum nata est opinio, fabulam nostram ad medium comediam esse annumerandam.

Thomas Magister in Ranarum Argumento de Pluto sic judicat: Ο παρὸν ποιητὴς, ὃς ἐν τῷ δράματι τοῦ Πλούτου τῷ τότε τῶν Ἀθηνῶν ἔρχοντι δπωσδήποτε χριζόμενος, τότε τὸν Πλούτον ἀναβλέψαι φησὶ καὶ πλουτῆσαι τοὺς ἀγαθούς κτέ... ὃς οὖν τὸ δράμα τοῦ Πλούτου ὑπὲρ τοῦ τότε ἔρχοντος Ἀθηνῶν ἀσυμφανῶς ἔνετάξετο κ. τ. λ. Quibus verbis hoc significare videtur, Comicum pollicitum esse civibus fore ut sub novo Archonte iustitia et aequitas

reviviscerent atque bonis sua praemia suusque honos tribuerentur. Quod ut probet, Thomas comparat hanc comoediam cum Nubibus et Ranis, quarum in altera comicus specie quidem Socratem, re vera autem pravam Sophistarum, quibus ipse Socrates adversaretur, doctrinam et institutionem perstringeret; in altera non tam ipsum Euripidem quam poësis antiquae depravationem acerbe notasset. Quae tamen comparatio prorsus claudicat. Ita scilicet in Nubibus et Ranis Comicus sub certis personis universum vitiorum genus reprehendisset, in Pluto contra sub ficto nomine et generali vocabulo certam personam significasset.

Thomas igitur, ant quem illc securus est, putavit Plutum certi temporis et personae respectu compositam esse; poëtam nempe laetatum quod tandem vir bonus et honestus magistratum gereret, quem antehac non nisi malis artibus plerique obtinuissent, hujus in gratiam hanc comoediam composuisse.

Huic sententiae eatenus adstipulatus est B. Thierschius ut sub Pluti persona aliud quid teete significari existimet. Primarium nempe fabulae consilium hoc fuisse putat: quum Aristophanes persuasum sibi haberet, gloriam ac potentiam Atheniensium reviviscere non posse nec stare, nisi civitas omnium rerum abundantia gauderet et cives patrium morem custodirent, eum hoc consilio Plutum conscripsisse, ut cives a rerum novarum studio et ab affectatione morum Spartanorum, verbo, a Dorismo revocaret. Quam sententiam ille talibus argumentis probare conatur.

Quum confecto bello Peloponnesiaco in plerisque ci-

vitatibus duae essent factio[n]es, quarum altera Laco-num, alt[er]a Atheniensium rebus faveret (haec vulgo Ionum, illa Doriensium nomine significata), eaeque omnem Graeciam discordiis et tumultibus impletent, ne Athenarum quidem civitatem ab hac discordia im-munem fuisse. Ibi enim post exactos triginta viros multos fuisse qui, aut quod servituti jam adsueti es-sent, aut quod luci causa Laconibus faverent, rei-publicae salutem aut commodum parum curarent. Jam sub Πλωύτων et Πενίαις asseclis latere ambas civi-tates, Athenas et Spartam. Πενίαι, Spartae patro-nam, recte gloriari se esse virorum fortium nutricem (v. 553); Pluti asseclas, h. e. Athenarum fautores, contra contendere urbem pristinum recuperare florem non posse nisi Penia cum suis, h. c. Spartani, expellantur (v. 450) et in adversariorum castra fu-gere cogantur; Spartanos quippe indignos esse qui divitiis polleant et sic Atheniensium vice fungan-tur.

Plutus ipse, judice Thierschio, vestitu et habitu plane Lacedaemonius est, quo significare voluerit poëta, Plutum hucusque Lacedaemonios secentum esse, quos nunc recuperato visu relinquat, ad Athenenses, quibus aptior esset, redditurus. Quod vir ingeniosus eo probari putat, quod poëta Plutum, natura sua lautum et magnificentum, hic introducat sordidum et miserum; id autem fingi non potuisse, nisi eum a Lacedaemo-niis venientem significare voluisset. Totius ergo fabulae cardinem in hoc verti arbitratur Thierschius, ut ostendatur, Plutum, quamdiu secutus sit Spartanos, coecum fuisse, nunc vero recepto visu reversum esse

ad Athenienses Pluti consortio longe digniores. Id autem effici posse e vs. 767 sqq., ubi Plutus refecta oculorum acie haec loquitur:

καὶ προσκυνῶ γε πρῶτα μὲν τὸν Ἡλιον,  
ἔπειτα σεμνῆς Παλλάδος κλεινὸν πέδον,  
χώρων τε πᾶσαν Κέντρον, οὐ μὲν ἐδέξατο.  
αἰσχύνεται δὲ τὰς ἐμαυτοῦ ξυμφοράς,  
οἵοις ἀρ' ἀνθρώποις ξυνῶν ἐλάχισταν,  
τοὺς ἀξίους δὲ τῆς ἐμῆς ὄμηλίας  
ἔφευγον, εἰδὼς οὐδέν, κτέ.

Praeterea agricolas, qui Chorum efficiunt, habitu ac specie plane Lacones esse dicit: senes videlicet ineultos, sordidos, crassis innixos baculis in scenam prodeuntes, quod apparere e vs. 271 sq.:

μῶν ἀξιοῖς Φενακίστας ἡμᾶς ἀπαλλαγῆντι  
ἀζήμιος, καὶ ταῦτ' ἔμοι βακτηρίαν ἔχοντος;

Eodem referri vult furta callide facta, qualia passim in hac fabula memorantur, ut vs. 355 sqq., 565, 1140 sqq., utpote Lacedaemoniorum more recepta et licita.

Postremo Patroclém illum, de quo vs. 84 dicitur:

... ἐκ Πετροκλέους ἔρχομαι  
ὅς οὐκ ἐλούσατ' εἴς ὅτε περ ἐγένετο,

ad irridendos Lacedaemonios commemoratum esse dicit secundum Scholiastae annotationem: εἰς οὐ τὰν Λακωνίους βίου ζηλούντων: cui opinioni etiam Berglerus se addidit. Denique Chremyli exclamatio ὡς Δάματερ (vss. 551 et 869) Dorismum Lacedaemoniis familiarem manifesto prae se ferre affirmat.

Haec Thierschii argumenta, quamvis ingeniose exco-  
gitata, tamen si accuratius perpendantur, parvi aut  
nullius momenti sunt. Spartani enim utriusque Pluti  
tempore a pristina paupertate jamdudum defecerant, et  
aeque atque in aliis civitatibus, Spartae quoque tum  
duae erant civium classes sibi oppositae, pauperes et  
divites: quare sub Peniae persona non Spartani, sed  
multo potius pauperes divitibus invidentes latent. Tum  
longa et copiosa Peniam inter et senes, Chremylum  
et Blepsidemum, altercatio, v. 415—618, a Laconum  
breviloquentia mirum quantum distat. Paupertatis  
verba interdum tam gravia atque a comica petulan-  
tia tam aliena sunt, ut potius philosophum aliquem  
austerum te audire credas, cuius placita Aristophani,  
viro veri rectique amanti, licet ceteroquin philoso-  
phorum adversario, non admodum displicerint.

In Pluti autem salutatione vs. 767 sqq. l. l. non  
Atheniensibus opponuntur eorum adversarii et hostes,  
apud quos Deus antea divertisset, tantum dicit, se  
antea inscium improbos locupletasse, bonos et ho-  
nestos neglexisse. Quinam autem sint improbi isti  
declaratur aperte verbis Chremyli vs. 30 sq.

*ἔτεροι δὲ ἐπλεύτευν, ιερόσυλοι, βήτορες  
καὶ συκοφάνται καὶ πονηροί.*

In his Laconum nullum vestigium. Videmus enim  
eam intelligi civium classem, quae sub populari im-  
perio malis artibus divitias sibi parare consueverat.

Agricolae autem in nostra fabula non *τινταλίοις*,  
ut Laconistae in Avibus, vs. 1284, sed vulgari *βακ-*

*τυρία* innituntur. Baculo autem vulgo Athenis quoque senes usos esse, quis dubitet?

Quod ad furga quae in Pluto occurrunt attinet, ea cum Spartanorum κλοπῇ, qua adolescentes ad agilitatem et calliditatem instituebantur, nihil commune habent. Nimis quum Penia asseverasset, secum habitare modestiam, κοσμιότητα, cum Pluto contra superbiam:

περὶ σωφροσύνης ἥδη τοίνυν περανῶ σφῶν κάναδιδάξω  
ὅτι κοσμιότης οἰκεῖ μετ' ἔμοι, τοῦ Πλούτου δὲ ἐστὶν ὑβρίζειν,

ad haec Chremylus subsequente versu jocans respondeat, furari murosque perforare valde honestum esse:

πάνυ γοῦν κλέπτειν κόσμιον ἐστιν καὶ τοὺς τοίχους διορύττειν.

cui serio adstipulatur Blepsidemus, ut fur et impostor:

νὴ τὸν Δι', ἐπεὶ γε λαθεῖν αὐτὸν δεῖ, πῶς οὖχὶ κόσμιον ἐστι;

Quid in his est quod Laconem redolet. Porro λακωνιζούτες sive Oligarchiae fautores non confundendi sunt cum iis qui passim ab Aristophane λαπανομανοῦτες, insani Spartanorum morum imitatores audiunt. Sie in Avium versu laudato quieunque comas alerent, esurirent, sordidas vestes induerent, vitam agerent Socraticam, baculos gestarent Spartanorum clavis similes, ii hominum classem efficiebant Oligarchis et divitibus ab omni parte oppositam. Divites vero, quales Patrocles ille, qui talem vitae rationem et corporis cultum sequerentur, non Laconum rebus potius quam sordidae avaritiae serviisse dicendi sunt.

Chremyli exclamatio, ἢ Δάματερ, eur Laconem potius quam rusticum prodit? Quidni rustici Attici, sicut nostrates, a politiore sermone interdum recessissent?

Quac attuli abunde, opinor, docent Thierschium nimis ingenio indulsisse et semel susceptae opinioni, etsi a Sueverno jure impugnatae<sup>1)</sup>, quibuslibet modis patrocinari conatum esse.

Jam his missis ipsam fabulam attendamus, ut inde poëtae consilium eruamus.

#### § 6.

In tota hac fabula pinguntur Atheniensium ingenium, mores, vitia, praecipue lucri cupiditas, avaritia, fallacia, quae omnes hominum ordines pervaserant et tam in vitae publicae quam privatae consuetudine dominabantur. Poëta hoc ostendit exemplis hominum qui vario vitae genere uterentur.

CHREMYLUS totus Athenensis est, pater familias, pauper, avidus, commodus, mobilis. Probitatem prae se ferens non sua, sed unici filii gratia divitias se petere affirmat; quamdiu pauper manet, deos magna pietate colit, vix autem voti compos factus, aetatis suae et pristinae conditionis oblitus maiores spiritus sumit, deos omnes praeter Plutum contemnit, divitiarum datorem uxore et filio cariorem ducit. Erga Carionem servolum indulgens est; Blepsidemi indignas suspicione, quasi furando divcs evasisset, leniter redarguit;

---

1) Ut ipse Thiersch fatetur Prolegg. in Pl. p. CDLXX.

liberalis est erga amicos, quos fortunarum suarum participes esse jubet; festive Pluto persuadere studet, quam probus sit, modo liberalis, modo ut nemo aliis parcus, vs. 245 sqq.:

*μετρίου γὰρ ἀνδρὸς οὐκ ἐπέτυχες πώποτε.  
ἔγω δὲ τούτου τοῦ τρόπου πώς εἰμ' αὐτός.  
χαίρω τε γὰρ φειδόμενος, ὡς οὐδεὶς ἀνήρ,  
πάλιν τ' ἀναλάν, ἣντικ' ἂν τούτου δέηται.*

Ceterum sycophantas odio habet, vetulam libidinosam opprobriis onerat, adolescentem autem, qui eam, cuius beneficiis aliquamdiu vitam sustentasset, nunc dives factus deserat, leniter objurgat, atque, lite inter ambos orta, Atheniensium more inter eos arbitrum agit litemque non aegre dijudicat.

BLEPSIDEMUS est suspicax, curiosus, natura timidus, sed, metu ademto, fortissimum se gerit. Amicum suspicionibus agit, cruciat, enecat. Ipso judice, fieri non potest ut quispiam, quamvis ipsi carus sit, sine fraude ditescat. Mox vero composito jurgio, cum amico in gratiam redit, et Pluti consors factus, quos nuper pauperes habuerat amicos, spernit. Atheniensem fraudulentum et vafrum in hoc facile agnoscas.

SYCOPHANTA egregie pingitur, ut specimen generis hominum *πολυπράγμονος*, quibus vita non vitalis esset, nisi alienis rebus publicis privatisque se immiscerent et aliorum damno pinguescerent. In jus rapere Plutum minatur, qui, cum omnibus bonis auxilio se fore promisisset, sycophantas ad inopiam redcisset. Interroganti Chremylo essetne homo bonus, se bonum

eivem patriaeque amantem esse gloriatur, illum autem furti accusat resque suas ab eo repetit. Jam rogatus quam ergo exerceret artem, nullum se opificium exercere fatetur, nisi quod interdum ἔμπορον se simularet, (ut scilicet hoc nomine tributorum immunis esset), verum, dicit vs. 908 sq.:

τῶν τῆς πόλεως εἰμὲ ἐπιμελητὴς πραγμάτων  
καὶ τὰν ἴδιαν πάντων,

atque ita quantivis pretii hominem se jactat et reipublicae utilem. Alter ei divitias promittit, si ab isto opere desistere et otiosus vivere velit; quod Sycophanta respuit, dicens id pecudis esse vitam vs. 923 (927):

.... ἀλλὰ προβατίου βίου λέγεις,  
εἰ μὴ Φανεῖται διατριβή τις τῷ βίῳ<sup>1)</sup>.

Itaque, hominem ut insanabilem, exutum vestibus et pallio soleisque pauperis Justi ornatum, cum ludibrio expellunt.

Hac igitur scena poëta odium suum in Sycophantas egregie expressit, in quo profecto bonorum omnium assensionem tulit: quare assentiri non possum Thierschio Prolegg. in Plut. p. CDLXII statuenti, Syeophantae querelam ex ingenio loquentis sumendam esse et contrarium indicare. Nam caeco Pluto gaudebant delatores, qui nullo discrimine facto, divitias quasi obviis largiretur.

---

1) πρόβατον pro stolido et stupido jam antiquitus vulgo dicebatur.

JUSTUS, *Δικαιος*, est homo simplex, fraudis ignarus, qui, consumo patrimonio, amicorum, quos beneficiis sibi obstrictos se habere credit, fugam miratur. Ceterum pius deorum cultor, in melius mutata fortuna, Pluto pristinae suae paupertatis insignia, palliolum et soleas candide dedicando gratum deo ostendit animum.

*Γραῦς*, vetula libidinosa, quae adolescentem pauperem pecunia et munusculis sibi devinxerat. Hic autem cgestate coactus mirificum ejus amorem simulaverat, verum dives factus amatam rugosam esse agnoscit spretamque lubens bono Chremylo permittit. Anus Plutum injustitiae accusat, quod adolescentem beneficiorum immemorem ditasset, et Chremylus, quamquam mordacibus in eam jocis et salibus indulgens, tamen ejus querelas non omnino injustas esse putat. Itaque non pellitur sicut Sycophanta, sed una cum adolescente recalcitrante in aedes recipitur.

CARIO servus est vafer, scurrilis, gulae deditus; idem vero facetus, callidus, et dominum dominamque ingenio multum superans; illiberalibus quidem abundat jocis, sed haud paucos neque ineptos sales fundit. Cum domino irascente et malum minitante litigat, neque ejus minis movetur ut ad obsequium redeat. Sacrae lauri corona redimitus sanctitatem prae se fert nulla violandam injuria. Attamen non solum risui captando inservit, sed haud raro eidem mordacia aeque ac vere dicta tribuuntur. Sic hero dubitanti, quid sibi velit Apollinis jussum, ut, in quem templo egressus primum inci-

dat, eum domum secum deducat (v. 41 sqq.), acute id interpretatur vs. 45 sqq.:

εἰτ' οὐ ξυνίης τὴν ἐπίνοιαν τοῦ θεοῦ  
Φράξουσαν, ὡς σκαιότατε, τοι σκέψοτε,  
ἀσκεῖν τὸν υἱὸν τὸν ἐπιχώριον τρόπον;

heroque interroganti, unde hoc efficiat respondet v. 48:

. . . δῆλον ὅτική καὶ τυφλῶ  
γνῶνται δοκεῖ τοῦθ', ὡς σφόδρ' ἔστι ξυνφέρον  
τὸ μηδὲν ἀσκεῖν ὥγιες ἐν τῷ νῦν χρόνῳ<sup>1)</sup>.

Idem rusticos chorūm efficiētes et dominam vino-sain salse ludit; Mercurium victum rogitantem superbe habet. Lepidissima est autem scena illa in templo Aesculapii (v. 659—747), ubi homines oculorūm morbo laborantes sanari a Deo credebantur. Ibi dormitanti-bus ceteris Cario unus vigil omnia quae fierent obser-vat, praecipue sacerdotis aviditatem, qui munuscula Deo oblata εἰς σάκταν ἤγιζεν. Perstringuntur his λατρο-μυντεῖς, qui arte factitanda magis suo luero quam aegrotantium saluti servirent.

Nulla alia in fabula servo majores tribuuntur partes, atque hujus persona fingenda Aristophanes praelusit quodammodo novac Comoediac, quippe quac tales fingeret personas servorum, quales apud Terentium, Menandri, novae Comoediae principis, imitatorem pas-sim deprehenduntur. Idem dicendum de Vetula illa, cuiusmodi persona e scena etiam in satiram migravit.

1) Thiersch, cum Inv. et Dind. Codd. βια,

Quis non recordatur Horatii Epop. 8, ubi describitur matrona nobilis, generis et sexus sui dedecus.

Πενίας persona neminem accuratius hanc fabulam legentem fugiet quam sit gravissima: comparata est ita ut cum totius fabulae nexu et consilio arcte cohacreat. In scenam prodiens Chremylum et Blepsidemum, qui jam in eo erant ut Plutum Aesculapio sanandum traderent, ab hoc incepto deterrere conatur. Senibus, maxime Blepsidemo, horrendo aspectu magnum incutit metum eosque misellos homunculos appellat vs. 415 sqq. :

ῳ οερηδὸν ἔργον πάνοτιν καὶ παράνομον  
τολμῶντε δρῶν ἀνθρωπαρίῳ πακέδαιμονε.  
ποῖ; ποῖ; τι Φεύγετε; οὐ μενεῖτον;

Mox vero senes, posito metu, cum ea altercantur, donec conveniunt, ut instituta disceptatione quisque suam causam agat et ordine exponat. Igitur Chremylus vs. 485 sqq. e persona pauperum invidorum loquitur. Omnibus liquere dicit, acquum et justum esse probi piique homines bene se habeant, improbi et impii contra male. Quod propositum ut assequatur consilium se excogitasse dicit pulcrum, ingenuum, ab omni parte profuturum: nempe Pluto visum restituere in animum induxisse, quo Deus ille ad bonos se converteret neque eos unquam derelinqueret, improbos et impios fugeret, atque ita honestos omnes divites redderet, atque deorum sacrorumque cultores. Quis, rogam, meliorem hominibus conditionem inveniat? Jam vero de praesente rerum conditione acerbissime queritur,

quam *μανίαν* et *κακοδαιμονίαν* appellat, quoniam plerique improbi injuste congestis divitiis affluent, contra honestissimorum hominum maxima pars esuriant, et Paupertatis consortes sint. Quare optime de hominum genere consultum iri si Plutus visum recipiat.

Penia vero v. 504, sqq. senes nimiae credulitatis et insaniae accusat (notissima Atheniensium levitas et mobilitas hic perstringuntur): increpat eos ut nugatores et delirantes, quia, si voti compotes fierent atque Plutus videns omnibus aequaliter se distribueret, de artibus et de ipsa sapientia prorsus actum foret. Docet porro, se ejecta, si cuncti ditescerent, fore ut omnes omnium rerum mox indigerent, quum divitiarum inaequalitate sublata, mutua hominum officia cessarent neque dives diviti servire vellet; praeterea nulla fore mancipia, ut quae nemo dives cum vitae periculo mercari vellet: sua opera effici contra ut homines vitae sustentandae gratia ad opera facienda et artes excolendas impellantur. Virtutum matrem se esse gloriatitur; divitias vero omnium tam corporis quam animi vitiorum causam esse contendit.

Objiciuntur ci pessimorum hominum malefacta, furtum, latrocinia. At egregie docet haec esse mendicitatis vitia, magnopere vero inter se differre pauperem et mendicum, quorum hic omnium rerum egenus non honesto labore, sed mendicando victum sibi quaerat, ille vero operibus intentus sit, quorum fructu, licet non supersit, vitam tamen sustentet, vss. 548 sqq.:

*πτωχοῦ μὲν γὰρ βίος, ὃν σὺ λέγεις, ζῆν ἐστιν μηδὲν ἔχοντα.  
τοῦ δὲ πένητος ζῆν Φειδόμενον καὶ τοῖς ἔργοις προσέχοντα.*

Senes tamen horum nihil ei concedunt. Verum ubi Penia rhetorum peculatorum exempla citat v. 564 (567), qui in paupertate justi fuissent, sed surreptis pecuniis publicis divites et illico injusti facti essent, non possunt ei non assentiri, nequaquam tamen inducuntur ut credant divitiis preeferendam esse paupertatem, quam scilicet omnes fugiant. At hujus fugae causam Paupertas ponit in hominum perversitate, quid bonum sit non perspicientium, allato liberorum exemplo, qui parentes suos, quamvis optime eis consulentes, nihilominus fugiant, vs. 578 (581):

*οὗτω διαγνωσκειν χαλεπὸν πρᾶγμα ἔστι δικαιον.*

Egregia tamen Paupertatis defensio apud animos praeoccupatos, ut fieri solet, nihil valet. Postremo poëta v. 596 iratum Chremylum facit dicentem:

*οὐ γὰρ πείσεις, οὐδὲ δὴ πείσης,*

quo indicat, qua mente vulgo essent Athenienses, quippe qui pree divitiis fidem et persuasionem nihil aestimarent.

Aristophanes igitur non aliis eripere, aliis gratificari divitias cupivit, sed in hac in primis confabulatione ostendit vanas esse pauperum querelas, qui divites improbitatis et injustitiae incusantes nihilominus ipsi divitiis inhiarent. Fortasse etiam sophistarem artem in utramque partem dicendi partim imitari partim ridere sibi proposuit. Nam Penia, licet causam suam optime defendat, vincitur tamen inque fugam convertitur; Chremylus contra et Blepsidemus, qui eam nec

redarguere nec Pluti causam digne tutari potuerant, vici-  
tores quidem evadunt, sed ab honestissimis, quos se  
esse praedicant, mox improbi ac deorum contemtores  
fiunt. Nequiores etiam evadunt ceteri qui una cum  
iis divites facti erant. Quibus malis ut medela affera-  
tur, tandem Plutus e Chremyli domo in aerarium pu-  
blicum deducitur, quod erat in Parthenone, vs. 1189 sq.

... οὗπερ πρότερον ἦν ἴδρυμένος,  
τὸν ὀπισθίδερον δὲι Φυλάττων τῆς θεοῦ.

Summa igitur fabula eoredit, ut et divitum im-  
probitas castigetur et pauperum querelas vanas esse  
ostendatur: quare optime reipublicae consultum iri si  
divites opes suas in publicum usum conferant.

### § 7.

Tale fabulae argumentum illis temporibus perquam  
fuit consentaneum et opportunum. Finito enim bello Pe-  
loponnesiaco, divites Athenienses reipublicae commoda  
magis magisque negligere ac privato luxui et luero in-  
dulgere coeperunt. Testis est Lysias, qui in oratione  
contra Ergoelam, quam supra tetigi, acerbe et de hoc  
viro et de Thrasybulo ejus amico queritur, quod a  
pauperibus divites facti populum contemnerent et Oligar-  
chiae studerent. Populus autem principum civium opu-  
lentiam aegre ferebat. Timotheus ejusque pater Conon,  
Iphierates, Chabrias, Chares, teste C. Nepote in Chabria,  
opulentissimi erant pauperumque invidiam non nisi re-  
lictis Athenis effugerunt, quod tantum se ab invidia  
putabant a futuros quantum a conspectu suorum reces-

sissent. Itaque sic putabant: ubi bene, ibi patria. Significant hoc verba vs. 1150:

*πατρίς γάρ ἔστι πᾶσ', οὐδὲν πρόττη τις εὖ.*

Constat autem circa idem tempus civium mores luxuria et avaritia maximopere corruptos esse. Suum quisque emolumentum anteponebat communi saluti: magistratus, praetores, omnibus modis se locupletare publico damno studebant; neque tantum singuli ci-  
ves, verum etiam populi et civitates, praecipue Athenae et Sparta, invidia et avaritia adeo flagrabant, ut nulla foedera nec sancte servarentur nec diurna manerent. Bella bellis succedebant. Quibus discordiis alendis Persae, communes Helladis hostes, nunquam defuerunt, sed demagogos et principes viros auro in suas partes trahere studuerunt.

Jam pridem Pausanias et Themistocles accusati sunt quod Persarum auro corrupti essent, cuius maleficii poenas morte et exilio luerunt. Flagrante autem bello Peloponnesiaco, Spartani Alcibiadis hortatu cum Tissapherne contra Athenienses foedus inierunt, atque a Persis tam pecunia quam navibus adjuti, Atheniensibus imperium maritimum aliquamdiu eripere potuere<sup>1)</sup>. Cujus rei quum causam perspexissent Athenienses, Alcibiadem revocarunt et per eum a Peloponnesiorum foedere avertere Tissaphernem conati sunt<sup>2)</sup>. Quae tamen spes eos fefellit; nam satrapa semper moras nectebat, et tam Atheniensium quam Peloponnesiorum vires timens, utrosque dolis frangere studebat.

1) Thuc. VIII, 37, sqq.

2) Id. 108, 109.

Alcibiades autem quum circa Ol. 92,4, a. C. 408, quo anno prior Plutus edita esse fertur, cum Thrasybulo et Theramene Athenas rediisset, anno post imperium ei denuo abrogatum est, quod corruptus a rego Cymen capere noluisset. Cujus criminis eum non imerito reum fuisse eo facilius credo, quod per septem annos exsul plus sibi consuluit quam patriae, cui, inimicorum odio duetus, magna damna intulit.

Foodissimum vero invidiae et avaritiae spectaculum praebuerunt Phrynicus Atheniensis et Astyochus Spartanus. Hic enim (Thuc. VIII, 50, 83, 84) Alcibiadem Samum ad exercitum reversurum monuit a Phrynicho caveret, qui, Alcibiadi invidens, Spartanorum ducem certiorem fecerat eorum, quae de Alcibiadis reditu apud Athenienses agerentur. Sic Phrynichi invidia Athenarum salutem remorata, Astyochi avaritia acerrimum Spartae hostem tutata est.

Talia autem vitia non potuerunt non multorum, maxime pauperum, movere invidiam; quid mirum, si multi extiterint, (quod idem, aliis temporibus, apud Romanos, medio aevo, nostra denique aetate vidimus) qui poscerent ut divitiae et opes alio modo distribuerentur?

Hujus rei ratione habita, Plutus ad Athenarum civitatis conditionem illustrandam magni est momenti. Revera enim Pluti editae tempore ejusmodi quaestiones agitari coepfas esse, fabulam nostram legenti vix dubium esse potest, praesertim si eam cum Ecclesiazusarum argumento contuleris.

In Ecclesiazusis enim, quae fabula tribus vel qua-

tuor annis ante Plutum posteriorem edita est, cum mulierum tum bonorum communio ut res ridicula proponitur, vs. 590, sqq. his Praxagorae verbis:

κοινωνεῖν γὰρ πάντας Φῆσω χρῆναι, πάντων μετέ-  
χοντας  
κάκ ταῦτοῦ ζῆν, καὶ μὴ τὸν μὲν πλουτεῖν, τὸν δὲ  
ἄθλιον εἶναι.  
μηδὲ γεωργεῖν τὸν μὲν πολλήν, τῷ δὲ εἶναι μηδὲ  
ταφῆναι.  
μηδὲ ἀνδραπόδοις τὸν μὲν χρῆσθαι πολλοῖς, τὸν δὲ  
οὐδὲ ἀκαλούθῳ.  
ἀλλ᾽ ἐν ποιῶ κοινὸν πᾶσιν βίοτον, καὶ τοῦτον ὅμοιον.

Jam poëta in Pluto manifesto id agit, ut rerum novarum studium, insanam divitiarum cupidinem et abusum, exagitet, atque omnis hominum generis malas artes, dolos et sordes sugillet; his autem malis remedium non quaerendum esse docet in nova divitiarum partitione: nam si pauperes subito, mutatis partibus, divites fierent, eos nihilo meliores fore quam ceteros; sed unicum remedium in hoc esse positum, ut privatorum opes modicae sint. Sic in utraque fabula divites castigantur; in Ecclesiazusis vs. 197 sqq.

ναῦς δὴ καθέλκειν τῷ πένητι μὲν δοκεῖ·  
τοῖς πλουσίοις δὲ καὶ γεωργοῖς οὐ δοκεῖ.  
Κορυθίοις ἄχθεσθε πτέ.

Quibus dictis notantur divites, qui prae avaritia et socordia, trierarchiae sumtus in naves Corinthum mittendas suppeditare detrectabant. Pariter in Pluto

vs. 557, sqq. pauperes strenui, divites ignavi, molles et imbelles dicuntur, his Πενίας verbis :

. . . τοῦ πλούτου παρέχω βελτίσνας ἄνδρας,  
καὶ τὴν γνώμην καὶ τὴν ἰδέαν. παρὰ τῷ μὲν γαρ πο-  
δαγρῶντες,  
καὶ γαστρῶδεις, καὶ παχύκυνθοι, καὶ πιονές εἰσὶν  
ἀσελγῶς.  
παρ' ἐμοὶ δὲ ισχνοὶ καὶ σφικάδεις, καὶ τοῖς ἔχθροῖς  
ἀνιχροί.

Quibus verbis Paupertas docet se reddere homines tam animo quam corpore meliores quam Plutum : apud quem podagricos invenias, crassis suris turpique pinguedine laborantes ; at, apud me ait, tenues sunt et graciles hostibusque timendi.

In Pluto aequa atque in Ecclesiazusis nova reprehenduntur, vetera extolluntur, ut facile senem laudatorem temporis acti agnoscas. Nam si poëta, actis Equitibus (Ol. 89, 1 = 424) vicesimum aetatis annum egit, idem, quum Plutum posteriorem doccret, sexagesimum sextum jam expleverat.

In Pluto Chremylus vs. 500 l. queritur hominum vitam jam non ferendam esse ; in Eccl. vs. 174 sqq. legimus omnes res urbis adeo male se habere ut Praxagoram moerore ac taedio affiant :

ὅρῳ γὰρ αὐτὸν προστάταισιν χρωμένην  
ἀσὶ πονηροῖς· καν τις ἡμέραν μίαν  
χριστὸς γένηται, δέκα πονηρὸς γίγνεται.  
ἐπέτρεψας ἐτέρῳ; πλεῖστον ἔτι δράσει κακό.  
χαλεπὸν μὲν οὖν ἄνδρας δυσταρέστους νοικετεῖν,

οἱ τοὺς Φιλεῖν μὲν βουλομένους δεδοίκατε,  
τοὺς δὲ οὐκ ἔθέλοντας ἀντιβολεῖθ' ἐκάστοτε,  
ἐκκλησίαισιν ἢν δτ̄ οὐκ ἔχρωμεθι  
οὐδὲν τοπαράπτω· ἀλλὰ τὸν γ' Ἀγύρριον  
πόνηρὸν ἡγούμεσθα· νῦν δὲ χρωμένων  
ὁ μὲν λαβὼν ἀργύριον, ὑπερεπήνεσεν·  
ὁ δὲ οὐ λαβεῖν, εἶναι θαυμάτου Φησὶ ἀξίους  
τοὺς μισθοφορεῖν ζητοῦντας ἐν τῇ ἵκτηῃσίᾳ.

Magistratus, dicit, plerique improbi sunt; quodsi forte bonus aliquis ercatur, ceteris deterior evadit. Difficile autem est Athenienses morosos monendo corrigere, quippe qui amicos metuant, inimicis adulentur precibusque occurrant. Conciones mercenariae, ἐκκλησίαι antea ignotae, jam, Agyrrho auctore, frequentatae, ab aliis pecuniae causa valde laudantur, ab aliis talem mercedem respuentibus contemnuntur, quam qui non concupiscant, morte digni ducuntur.

Ipsam poëtae mentem his versibus aperiri e vs. 302 seqq. effici licet. Ibi enim Aristophanes tempora feliora respicit, quibus, Myronide archonte, nemo pro magistratu gerendo mercedem acciperet, quum adhuc adeo frugales essent Athenienses, ut in conciones prodituri potum cibumque secum ferrent, panem, duas cepas, tres forsitan olivas. Nunc vero, dicit, qui, publica munera administrant, sicut mercenarii et bajuli triobolum accipere quaerunt. Talia sunt quae poëta Chorum facit dicentem, (vs. 300 seqq.):

... πρῶτοῦ  
μὲν, ἥντις ἔδει λαβεῖν

ἐλθόντ' ἐβολὸν μόνον,  
 κάθηντο λαζαῖοντες  
 ἐν τοῖς στεφανώμασιν·  
 νυνὶ δὲ ἐνοχλοῦστ' ἄγαν.  
 ἀλλ' οὐχί, Μυρωνίδης  
 ὅτι ἥρχεν ὁ γεννάδας,  
 οὐδεὶς ἂν ἐτέλμα  
 τὰ τῆς πόλεως διοι-  
 κεῖν, ἀργύριον λαβῖων.  
 ἀλλ' ἦκεν ἔκαστος  
 ἐν ἀσκιδίῳ Φέρων  
 πιεῖν, ἀμαχ τὸν ἄρτον ἂν,  
 καὶ πρὸς δύο κροκαύω  
 καὶ τρεῖς ἂν ἐλάσας.  
 νυνὶ δὲ τριώβολον  
 ζητοῦσι λαζεῖν, ὅταν  
 πράττωσι τι κοινόν,  
 ἀσπερ πηλοφοροῦντες.

In Pluto quoque vs. 320, istius trioboli, mentionem fieri supra ostendi. Quas igitur res et quaestiones in Pluto tractavit poëta, eaedem fere ad Ecclesiazusarum argumentum pertinent. Unde quid aliud efficitur, nisi nostram fabulam cum temporibus, quibus Ecclesiazusae editae sunt, optime convenire?

Quod autem ad utriusque Pluti argumentum attinet, id fere idem fuisse nonnulli contenderunt, in quibus Bode (Gesch. der Hell. Dram. II. T. p. 354), qui tamen recte observat posteriorem fabulam, mutatis temporibus, magis res spectare quam personas debuisse. Profecto in nostra fabula ab initio usque ad

exitum eandem quaestionem de divitiarum usu et abusu tractatam reperimus. Personae non nisi obiter tanguntur. Sed rerum conditio in utraque fabula non eadem fuit describenda. Ut uno exemplo utar, Thucydides (L. VIII, 97) tradit, circa annum 408, quo prior fabula edita est, res urbis melius quam unquam antea constitutas fuisse. Oligarchi enim tum magis consociati sunt cum iis qui multitudinis imperio favebant, quod primum Athenis exemplum fuit pessimi rerum status in meliorem mutati: ἐκ πονηρῶν τῶν πραγμάτων γενομένων τοῦτο πρῶτον ἀνήνεγκε τὴν πόλιν. Ex eodem loco discimus placuisse populo, ne quis magistratus mercudem caperet, sin minus, diris devoveretur: μισθὸν μηδένα Φέρειν μηδεμιᾶς ἀφῆναι, εἰ δὲ μὴ, ἐπάρατον ἐποίησαντο. At nostra in fabula contrarium obtinet. Nihil sani in civitate adesse dicitur; pessimus rerum status proponitur, triobolus concionalis datur, et passim peculatus et furorum fit mentio.

Denique Pluti prioris tempore Athenienses belli oneribus adeo exhausti erant, ut Thucydides (L. VIII, 53) Pisandrum faciat dicentem, Persas Peloponnesiis suppeditare pecuniam, qua Athenienses prorsus carerent: σφίσι τε οὐκέτι ἔντων (*χρημάτων*). At circa alterius fabulae tempora Athenienses, cum Persis societate inita, pecunia non carebant. Nam moenia id temporis restituta, classes refectae, atque ad mercenarium militem alendum magnis profecto opibus utebantur. Deinde e Xenophonte (Hell. V, 4, 66) discimus, Timotheum, postquam Coreyra potitus erat, quum ob classem ingentem magna pecuniae vi indigeret,

Athenas misisse qui eam inde peterent: *χρήματα μεν τοι μετεπέμπετο Ἀθηνῆν· πολλῶν γὰρ ἐδεῖτο, ἀτε πολλᾶς ναῦς ἔχων.*

Et hic quidem pro meo consilio finem huic scriptioni imponere possem; nec tamen alienum me facturum puto, si veluti cumulum de Pluti fabulae specie pauca haec adjiciam.

### § 8.

Major interpretum pars hanc fabulam ad medium, quae dicitur, comoediam referunt; alii vero, in his Thierschius, veteri eam vindicant. Haec autem quaestio paullo difficilior est, quia in distinguendis antiquae et mediae comoediae fabulis aliam rationem secenti sunt veteres Grammatici Alexandrini, alia recentioribus criticis tantum non omnibus placet. Hic certum temporis spatium illi comoediarum generi tribuunt, in his Meinekius, qui (in Hist. Crit. Com. p. 271) spatium illud inter Ol. 96 et Ol. 110, a. 3, ponit<sup>1)</sup>), nempe inde a bello Corinthiaco usque ad pugnam Chaeronensem. Alexandrini contra non aetatem fabularum, sed argumenta potius spectant, quae quidem ratio multo potior videtur. Nam Cratinus, antiquae comoediae auctor, jam in eisdem argumentis lusit, quae mediae Comoediae propria fuisse dicuntur. Sic Cratini fabula *Ὀδυσσεῖς* a Platonio in Scholl. Graec. p. XIII, 40 (Didot), disertis verbis ad medium pertinere dicitur, quum hacc aequa atque Aristophanis

1) Cf. Cobet. Obs. Critt. p. 116.

Aeolosicon et plurima dramata vetera tum choriceis canticis, tum parabasi caret: τοιοῦτος οὖν ἔστιν ὁ τῆς μέσης παραβάσιας τύπος, οὗτος ἔστιν ὁ Αἰολοσίνων Ἀριστοφάνους καὶ οἱ Ὀδυσσεῖς Κρατίνου καὶ πλεῖστα τῶν παλαιῶν δραμάτων οὕτε χορικὰ οὕτε παραβάσεις ἔχοντα.

Jam Plutus utroque, et choriceis carminibus et parabasi caret. Chori aliquae quidem sunt partes, attamen perexiguae, etsi nonnullis locis choricos versus excidisse Codices et Editiones veteres testantur, ad vss. 619, 641, alibi. Post versum 760 commatione desiderari dicitur. Neque prorsus negare audeam cantica illa, uti Thierschio videtur, potuisse intercidere, praesertim quum eadem etiamnunc in Ecclesiastus adsint. Ambae tamen hae fabulae parabasi carent, quae in ceteris Aristophanis fabulis nobis servatis nusquam desideratur. Chorica autem cantica e Pluto deperdita esse, suspicio tantum est, quae tamen nullis certis testimoniiis aut indicis probari potest.

Deinde media Comoedia amabat argumenta mythologica et facta; Dii, heroës, reges, denique personae e Tragoedia risui exponebantur<sup>1)</sup>). Nec philosophis in eis parcebatur; sed poëta illis aculeis non φανερῶς, ut antea, sed κίνηματαδῶς utebantur. Jam in Pluto omnes personae factae sunt. Multi versus ad Tragicorum personas ridendas compositi in nostra fabula reperiuntur. Totum argumentum est fictitium et joculare. Quod Penia e civitate exsulare cogitur, quod Plutus ex coeco

1) Cf. Cobet. Obs. Critt. p. 120 sqq.

oculatus factus esse fingitur, quod improbi bonis spoliabantur, contra honesti, pauperes et simplices divitiis augentur, haec omnia a vita et veritate sunt aliena. Tale fabulae argumentum veteres ὑπόνειαν appellabant<sup>1)</sup>, quam Aristoteles (Ethic. ad Nic. IV, 8) novae comoediae typum vocat: Ἰδοι δὲ τις ἐκ τῶν κωμῳδῶν τῶν παλαιῶν καὶ τῶν καινῶν· τοῖς μὲν γὰρ ἦν γελοῖον ἡ αἰσχροτοτεία, τοῖς δὲ μᾶλλον ἡ ὑπόνεια. Hie igitur non nisi duas comoediae formas distinxit, veterem et novam<sup>2)</sup>; Critici vero Alexandrini, ob magnam argumentorum dissimilitudinem, comoediarum tertium genus posuerunt, cui fracta populi libertas, qua antiqua niteretur comoedia, originem dedisset.

Ad hoc autem tertium genus Plutum haud pauci retulerunt, qui mediae comoediae vestigia tantum non omnia, in ea fabula deprehendisse sibi visi sint. Cujus tamen causa non tantum in fracta populari potestate, verum potius in totius civitatis viribus imminutis, in philosophiae progressibus, denique in molliori vita ac magis urbana quaerenda est; qua de re copiose agit K. O. Mueller (Gesch. der Gr. Litt., 2 B. p. 269 sq.

Finito enim bello Peloponnesiaco, licet, pulsis tyrannis, a Thrasybulo restituta esset libertas, nihilominus de Atheniensium dominatione, quam antea amplissimam exercuerant, prorsus actum fuit. Hinc minores spiritus gerentes a dominationis et gloriae cupi-

1) Cf. Cobet. Obsss. Critt. p. 115.

2) Clinton. Fast. Hell. p. 52.

dine ad otium pacisque bonas et malas artes se convertere coeperunt. Molioris vitae deliciis adsuescebant, neque defuere quae semper otium comitantur vitia, majorum rerum neglectus, leviorum sedula cura, maximum autem malorum omnium avaritia. Ab altera parte clarior tum eluxit philosophia, studium litterarum magni haberi coeptum, atque turbulentia vita foensis domestico otio cessit. Quam rerum mutationem sensit etiam Comoedia, quae a publicis rebus tractandis ad privatas transiit.

Jam in Pluto haud pauca reperiuntur talis mutationis vestigia. Non enim insignes in civitate viri perstrin-guntur, quales Chabrias, Iphierates, qui ne nominantur quidem. Timotheus non nisi leviter tangitur. Agyrrhius et Neoclides, demagogi, castigantur quidem, sed obiter tantum, neque tamen personati in scena traducuntur. Carpuntur vitia non publica, sed pri-vata. Vetulac libidinosae personam frustra in reliquis Aristophanis fabulis quaeras, quae propius ad mediā comoediam acedit. Haec enim etiam amores sive licitos sive illicitos in scenam produxit, quibus fere totam se dedit ea quae dicitur nova, quod fabulae Terentii, Menandrum secuti, satis docent.

His omnibus consideratis, Plutus, mea quidem sententia, fere ab omni parte mediae Comoediae indoli respondet, ita tamen, ut nonnullis locis antiquae ad-huc colorem et characterem deprehendere liceat. Quare lubens assentior Cobeto V. C. Obss. Critt. in Plat. com. rell. p. 116 statuenti :

Negari non potest plerosque poëtas, per quos anti-

qua Comoedia floruit, ea vidisse tempora, quibus ad aliud argumentorum genus confugere cogerentur, atque hinc natam esse illam Comoediam, quam, quum non esset amplius antiqua, rectissime *medianam* dici appetet.

## THESES.

---

### I.

Primarium Aristophanis in Pluto consilium hoc fuit, ut doceret, divitiarum abusui tollendo non aliud esse remedium, nisi si privatorum opes modicae, reipublicae vero ampliae sint.

### II.

Bern. Thierschio, Prolegg. in Aristoph. Plutum, c. I, docenti primarium Aristophanis in Pluto consilium hoc fuisse, ut Athenienses a Dorismo revocaret, non assentior.

### III.

Aristophanis Plutus superstes non ex utraque hujus

fabulae editione conflata, sed tota posterior fabula est, Ol. 97,4 = a. Ch. 388 in scenam missa.

## IV.

Aristophanis Plutus mediae comoediae indolem refert.

## V.

Variae lectiones in Pluto non dupli editioni, sed librariis et grammaticis tribuendae sunt.

## VI.

In Pluti vs. 178: ἡ ξυμαχία δὲ οὐ διὰ σὲ τοῖς Αἰγυπτίοις; contendō castigari Athenienses, quod, contra foedus cum Persis, pecuniae causa, Aegyptiis suppeditias ferrent.

## VII.

Assentior iis qui κωμῳδίδχονται non artem poëticam, sed chori magistri munus significare ex Aristoph. Eqq. v. 516 sqq. efficiunt.

## VIII.

Recte W. Helbig, Quaestt. Scaen. p. 2 et 39, contendit antiquis temporibus poëtae, chori magistri et histrionis munera ejusdem fuisse hominis, sed initio belli Peloponnesiaci poëtas comicos chori magistris uti coepisse.

## IX.

Vere Ranke, Comm. de Aristoph. vita ap. Meinekium p. LXI, statuit Aristophanem prima novae comoediae initia brevi ante finem vitae jecisse.

## X.

Chabrias, Atheniensium dux, bis opem tulisse Aegyptiis videtur, primum circa Ol. 97, flagrante bello Corinthiaco, iterum triginta fere annis post circa Ol. 104,2, una cum Agesilao.

## XI.

Recte Cobetus, Obss. critt. in Plat. Com. rell. p. 54, monuit medium comoediam natam esse e fabularum genere, quale olim antiqui comici pro suo quisque ingenio ludentes fixerunt.

## XII.

Aristophanes ceterique comici antiqui Oligarchiae magis quam Democratiae favisse mihi videntur.

## XIII.

Recte Ranke, Comm. de Aristoph. vita ap. Thiersch. p. LXXVIII, Horatium eodem jure, quo Lucilium, antiquae comoediae Atticae imitatem habet.

## XIV.

Recte Cicero, pro Archia c. 12, animi immortalitatem ex ipsius natura deducit his verbis: „Certe, si nihil animus praesentiret in posterum, et si, quibus regionibus vitae spatium circumscriptum est, iisdem omnes cogitationes terminaret suas, nec tantis se laboribus frangeret, neque tot curis vigiliisque angeretur, nec toties de ipsa vita dimicaret.”

## ERRATA.

- p. 4 l. 10 *lege*: ὁ Ζεὺς μὲν οὖν οἶδ' ᾧς, εἰ πύθοιτο τὰ τούτων  
μᾶρ(α) κτέ.
- p. 5 l. 17 *lege*: δῆλον δὲ ἐκ τοῦ ἐγ τῷ προτέρῳ Φέρεσθαι,  
εἰ μὴ, ὅπερ εἰκός, ἐκ τοῦ δευτέρου τοῦτο μετενήγει-  
ται, ὃς ἔσχατος ἐδιάχθη ὑπὸ αὐτοῦ, εἰκοστῷ ἔτει  
μετεργον· ἐκεῖ γάρ δρῶσι ἔχει.
- p. 16 l. penult. *omnes quae* — *lege*: *quae omnes*.







